# ACTA
# CAPITVLI
## GENERALIS TOTIVS
### ORDINIS BEATISSIMAE VIRGINIS

Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, celebrati in Conuentu Toletano eiuſdem Ordinis D. Catherinæ Martyri dicato, die vigeſima ſecunda menſis Maij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo.

*SVB REVERENDISSIMO P. N. FR. Ioanne Cebrian ſacræ Theologiæ profeſſore, antea Prouinciali Prouinciæ Aragoniæ, in eodem Capitulo totius ſacri Ordinis electo Magiſtro Generali.*

Anno  1627.

*CVM LICENTIA;*

Toleti, apud Ioannem Ruiz à Pereda, typ. Regium.

# IN NOMINE SANCTISSIMAE TRINITATIS PATRIS, & Filij, & Spiritus sancti, & sub protectione etiam Beatissimæ Mariæ Virginis de Mercede Redemptionis Captiuorum, Dominæ, & Patronæ nostræ.

NOTVM sit omnibus hoc transsumptum inspecturis, vel audituris in ciuitate Toletana Regni Castellæ, intra monasterium Diuæ Catherinæ Martyris sacrum, sacri Ordinis sanctæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum, Patres in electione Reuerēdissimi Generalis vocem habentes, inferius nominādos feria sexta post meridiem, die vigesima prima mensis Maij, anno Domini millesimo sexcētesimo vigesimo septimo, vigilia vigiliæ Penthecostes (ad quam diem legitimè, & iuxta sacra Ordinis statuta ad electionem noui Magistri Generalis vniuersum Ordinem conuocauerat Reuerēdiss. Pater Præsentatus fr. Franciscus Llac, Prior confirmatus monasterij sanctæ Eulaliæ Barchinonensis, & Vicarius generalis eiusdem totius Ordinis) Capitulum celebraturos conuenisse. Præsidente in eodem Capitulo eodem Reuerendiss. Patre Vicario generali, nō solum ex vi constitutionis id decernētis, sed etiam per Apostolicas literas à sanctissimo domino nostro Vrbano Papa octauo, in forma breuis concessas die sexta Martij eiusdem anni currentis millesimi sexcētesimi vigesimi septimi, in quibus specialiter, & expresse confirmat prædictam constitutionem statuentem, quod in Capitulo generali præsideat prædictus Reuerendiss. Pater Vicarius generalis, quibus literis de verbo ad verbū coram omnibus lectis, antequam quidquam aliud ageretur, vniuersi vocem habentes eundem Reuerendiss. Vicarium generalem, tanquam legitimū Præsidentem, & tenore cōstitutionum,

& authoritate Apostolicâ acceptarunt, & pro tali habuerunt vsque ad canonicam electionem noui Magistri Generalis absque exceptione, vel limitatione aliqua; iussumq; fuit prædictas literas in forma brevis in libro Ordinis transcribi, simulq; alias Gregorij XV. fratri Iacobo Pinell tunc similiter prædicti Ordinis Vicario generali directas id ipsum confirmantes ad celebrationē Capituli Generalis proximi præscripti, in quo electus fuit Reuerendiss. Magister Generalis frater Gaspar Prieto in ciuitate Cæsaraugusta, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo.

Post quod facta â Reuerēdiss. Patre Vicario generali breui, & pia oratione, qua ad quid conuenissent, prædictis Patribus exposuit, simulque eos ad electionē noui Magistri Generalis, viri sanctitate, prudentia, atque doctrina conspicui, vt pote vniuersum regularem ordinem à Beatissima Virgine matre institutū moderaturi exhortatus est, ad qualificationem, seu examē eorum, qui in præsenti electione legitimam vocem habituri erant, deuentū est, & pro parte Patris Magistri Michaelis Bernues exceptio opposita est Patribus Præsentato fratri Ioanni de Quintanilla Prouinciali (vt ipse asserebat) Prouinciæ Italiæ, & fratri Francisco Quintanilla eiusdem Prouinciæ (vt asserebat) electori, negante prædicto Patre Magistro fr. Michaele Bernues prædictos Patres vlla ratione legitimam vocem habere, ipsis contra asserentibus, & partibus auditis, sanctum Diffinitorium decreuit nemine discrepante Patrem fratrem Franciscum Quintanilla dictum electorem Prouinciæ Italiæ vocē non habere, eo quod cum filius esset Prouinciæ Castellę, filiationem in Prouincia Italiæ ab ordinis Magistro Generali nō obtinuisset, vt necessarium erat iuxta sacras constitutiones, & circa Patrem Præsentatum fratrem Ioannem de Quintanilla assertum Prouincialem dicto Prouinciæ Italiæ, prædictæ Prouinciæ Castellæ etiam filium ita res se habuit; quod prædictus Pater Præsentatus fr. Ioannes de Quintanilla coram Diffinitorio literas sanctissimi domini nostri Vrbani Papæ octaui in forma breuis datas Romæ die vigesima sexta Martij, anno Domini millesimi sexcentesimi vigesimi sexti præsentauit, quibus sanctitas prædicta in quinque annorum spatio, quo officio Procuratoris

gene-

generalis Romæ exercere debuisset, vt gradum magisterij obtinere in Prouincia, cuius filius erat iuxta statutum quoddam confirmatum per summum Pontificem Paulum quintum, ob aduersam eiusdem Patris valetudinem, & alias causas biennium supplebat, simulque illi facultatem, & gratiam largiebatur, vt in præsenti Capitulo generali vocem haberet: sed quia iuxta sacras constitutiones ordinis simul Magister Prouinciæ Castellæ esse, & Prouincialatu Prouinciæ Italiæ fungi non poterat, exposuit se idem Pater Præsentatus omnibus, & quibuscũque iuribus, & actionibus, quæ sibi ad prædictum Prouincialatum competere possent, renuntiare ea lege, & conditionẽ, vt prædictæ literę sanctissimi Domini nostri a Capitulo Generali admitterentur, atque adeò in Magistrum huius Prouinciæ Castellæ coaptatus deinceps foret, & voce in hoc Capitulo talis Procuratoris generalis Romæ fungeretur; & sanctum Diffinitorium, eo quod expositio eiusdem breuis vera cõtineret, & alijs iustis causis permotum prædictã sanctitatis suæ gratiam, prædictasq; literas, necnon renuntiationẽ à dicto Patre Præsentato fr. Ioanne dę Quintanilla factam admisit, ipsumq; Patrem Prouinciæ Castellæ Magistum supernumerarium declarauit, & vt talis ab omnibus haberi voluit, simulque vocem legitimam causa, & ratione prædicta in hoc Capitulo habere decreuit.

Deinde in eodem examine, & qualificatione persistẽte Diffinitorio, cum intra illud actu præsentes essent Reuerẽdi Patres Magister frater Nicolaus Valeta, qui se Prouincialem Prouinciæ Galliæ asserebat, & Patres Magistri Masson, & Veguei, Diffinitores, & Patres Præsentati Datia, & leuis electores, omnes electi in Capitulo Prouinciali eiusdem Prouinciæ Burdigalæ celebrato ex vna parte. Ex alia vero etiam præsentes adessent Reuerendi Patres Magister Mulatiet Diffinitor, & Præsentatus Vbrin elector, electi in Capitulo Prouinciali eiusdem Prouinciæ Tolosæ celebrato ex parte Præsentati fr. Didaci de Vedoia Cõmendatoris Malacitani, & electoris generalis Prouinciæ Veticæ, exceptio opposita est omnibus prædictis Patribus Prouinciæ Galliæ vtriusque Capituli, asserente dicto Patre Præsentato fr. Didaco de Vedoia nullũ ex omnibus illis vtriusque partis vocem legitime habere in prædicto Capitulo, eo

quod vtrumque Capitulum Prouinciale, in quo ipsi affirmabāt se electos, illegitimū, & nullum fuerat iuxta sacri Ordinis constitutiones, & alijs ex causis, sanctumque Diffinitorium ad maiorem, & pleniorem veritatis cognitionem, & formæ iuris obseruationem iussit intra ipsum Diffinitorium duos iurisperitos eiusdem ciuitatis Toletanæ aduocatos, & cathedrarios, vt assessorum munere fungerentur, adesse; qui & adfuerunt, & ipsis præsentibus coram Diffinitorio, tam Patres vnius Capituli, quam alterius voce quid sua interesset, protulerūt, necnon instrumenta in proprij iuris defensionem, quæ voluerunt, præsentarunt; quibus lectis, & ipsis auditis, necnon vocatis Patre Magistro fr. Gasparo de los Reyes, & Patre Magistro fratre Paulo Costa Cōmissarijs à Reuerendiss. Generali præcedente in Galliam missis, qui gestis huiusmodi maxima ex parte adfuerunt, qui in verbo sacerdotis, quid huius rei scirent, & intelligerent, protulerūt. Atque his omnibus bene perspectis, & mature considerātis vniuersum Diffinitoriū nemine discrepante de prædictorum iurisperitorum consilio, & sententia decreuit, vtrumq; Capitulum Prouinciale, tam illud, quod Burdigalę, quam quod Tolosæ celebratum fuit, fuisse, & esse nullum, atque illegitimū, & nullius roboris, atq; adeò prædictos omnes Patres, tam vnius Capituli, quam alterius, nulla ratione, vel iure vocem habere in hoc Capitulo generali; rursusque Diffinitoriū commisit Reuerendiss. Generali eligendo, vt qua poterit via, & ratione, paci, quietique prædictæ Prouinciæ Galliæ consulat, & quęcumque media ad eam sedandam, & ad concordiam reducendam conducentia, qua poterit breuitate, exequatur: ad quæ omnia præter ipsius Magistri Generalis potestatem etiam Diffinitorium, quam habet eidem Magistro Generali concessit. Quo decreto, & sententia prædictis Patribus Galliæ intimatis, vtriusque Capituli Patres se futuræ electioni opposuerunt, qua oppositione non obstante, eo quod prædictum decretum, & sententia Capituli secundum iuris determinationem, & nostrarum sacrarum constitutionum tenorem data fuissent, ad electionem progressum est.

In qua electione, cum nulla alia oppositio intercesisset, vocē legitimam in hoc Capitulo habere iuxta sacras nostras constitutio-

tutio-

tutiones compertũ fuit, Patres qui sequuntur. Videlicet Reuerendiss. Pater noster Præsentatus frater Franciscus Llac Prior confirmatus Barchinonẽsis Vicarius generalis totius Ordinis, ac Capituli generalis Præses legitimus. Pater Magister frater Ioannes Cebrian Prouinciæ Aragoniæ Prouincialis. Pater Magister frater Blasius de Tineo Prouinciæ Castellę Prouincialis. Pater Magister frater Iacobus Torner Prouincialis Valentiæ. Pater Magister fr. Ioannes de Herrera Prouincialis Vandalię. Pater Magister fr. Matthæus de Villarroel Vicarius Prouincialis del Cuzco. Patres Magistri fr. Franciscus Boil, & fr. Ioannes Ferrero Diffinitores Aragoniæ. Pater Magister fr. Melchior Prieto electus Episcopus de Paraguay Diffinitor Castellæ. Pater Magister fr. Christophorus Ruiz Diffinitor Castellæ. Pater Magister fr. Gaspar Fito Diffinitor Valentiæ. Pater Pręsentatus fr. Franciscus Gançalez Diffinitor Valentiæ. Pater Magister fr. Georgius de Arriola Diffinitor Vandaliæ. Pater Magister fr. Didacus de Abarca Diffinitor Vandaliæ. Pater Magister fr. Didacus de Velasco Diffinitor del Cuzco. Pater Magister fr. Ildephonsus de Molina Diffinitor Italiæ. Pater Magister fr. Michael Bernues elector Aragoniæ. Pater fr Ioannes Durango elector Aragoniæ. Pater Magister fr. Balthasar Gomez elector Castellæ. Pater Magister fr. Didacus Xuarez elector Castellæ. Pater Præsentatus fr. Paulus Veliz elector Valentiæ. Pater fr. Simon Raphael elector Valentiæ. Pater Magister fr. Ioannes de Cornieles elector Vandaliæ. Pater Præsentatus fr. Didacus de Vedoia elector Vãdaliæ. Pater fr. Aluarus de Azeuedo elector Italiæ. Pater fr. Andręas de Tobar elector Guatimalæ. Pater Magister fr. Ioãnes de Quintanilla, eo quod Procurator generalis Romæ munere functus fuerit. Qui omnes viginti septem vocem habentes numerati sunt.

Deinde sequenti die Sabbato vigesima secũda die Maij, ad auroram, prædicti Patres vocẽ legitimam habentes ad electionẽ faciendam congregati sunt, dictaque Missa Spiritus sancti, & Latino sermone concione habita ad Patres vocales per religiosum idoneum, & discretum ordinis lectorem, qua ad electionem Magistri Generalis doctrina, & sanctitate pollẽtis moniti sunt, Reuerendiss. Pater noster Vicarius generalis monuit excommu-

communicatos, suspẽsos, & interdictos (si qui essent in dicto con claui) recedere â præsenti electione, cum de iure interesse non possent, protestando non esse mentem ipsius aliquem illorum admittere, & si occulte se ingesserint, dixit se nolle eorũ vocibus dari suffragium, aut ab ipsis impedimentũ inferri: & deinde omnes electores iurarunt per Deũ, & sancta quatuor Euãgelia, atque animæ suæ periculum, quod secundum Deum, & propriã conscientiam eligerẽt Magistrum Generalem totius Ordnis, quem iudicauerint meliorem, & magis idoneum. Quo iuramento facto, per vota, & suffragia secreta, & per schedulas, quas Patres vocales secum attulerunt, iuxta nouam reformationẽ Clementis octaui, & in vasa prius apta, & disposita coniecerũt, ad scrutinium ventum est. Et Reuerendiss. Pater Vicarius generalis, & duo ex antiquioribus Diffinitoribus cum Secretario Capituli vota prędicta scrutati sunt, & cũ viginti septem essent vocales, viginti octo schedulæ repertæ sunt, vna earum sine aliqua scriptura, sed omnino alba inuenta, qua propter ad secundum scrutinium Patres omnes processere, & schedulis iterum coniectis, & scrutatis inuẽtæ sunt viginti septem, in quarũ vna scriptum erat, Magister fr. Laurentius de Altaua, & in reliquis viginti sex, Pater Magister fr. Ioannes Cebrian, atque adeò in Magistrum Generalem totius nostri sacri Ordinis legitimê, & canonicê, & secundum sacrosanctum Concilium Tridentinum electus fuit Reuerendiss. Pater Magister frater Ioannes Cebrian, & incontinenti postquam vniuerso Diffinitorio huiusmodi electio declarata est, prædictus Reuerendiss. Pater Magister frater Ioannes Cebrian coram electoribus, & Secretario Capituli, secundum formam nostrarum constitutionum iuramẽtum præstitit per Deum, & Crucem, & sancta Dei Euangelia manibus suis sponte tacta, quod secundum Deum, & propriam conscientiam, & constitutiones Ordinis reget, & gubernabit omni odio, & amore postpositis prædictum ordinem, & constitutiones illius seruabit, & ea, quæ pro pace, & cum Prouincijs ordinis à suis prædecessoribus approbata, & seruata fuere, & quod fideliter, & diligentissime exequetur quæ ad Redemptionem Captiuorum pertinent, cum ad hunc finem Ordo noster sit institutus, nec in aliquo prædicta bona Redemptionis, vel Ordi

nis

ordinis defraudabit, vel quouis colore in proprios vsus conuertet, sed quod omnium bonorum, quouis modo ad ordinem nostrum spectantium in Capitulo reddet rationem, quo iuramento facto statim omnes prædicti Patres vocales se prosternentes eidem Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali totius Ordinis obedientiam præstiterunt, & cantoribus incipientibus, Te Deum laudamus, ad Ecclesiam processere: in qua orationibus consuetis recitatis, omnes prædicti Patres vocales, simulq; quam plurimi ex ordinis corpore fratres, qui conuenerant obedientiam præstarunt eidem. Quorum omnium, & singulorum ego infrascriptus Capituli Secretarius fidem facio, atque verum testimonium perhibeo.

## *DECRETA SANCTI DIFFINITORIJ speciales Prouincias, & alia diuersa concernentia.*

DEcreuerunt primo Reuerendiss. Pater noster Magister Generalis electus, Reuerendi Patres Prior Barchinonensis, Prouinciales, & Diffinitores in Diffinitorio congregati vnanimi consensu, nemine discrepante, quod humiliter supplicaretur suæ sanctitati, vti hoc decreto ab vniuerso Ordine supplicabatur, iuberet supprimi, & suppri-meret Prouinciam Italiæ, ob plurimas, & maximas causas prædictam suppressionem exposcentes, ad quarum cognitionem, & notitiam auditi fuere Pater Magister frater Christophorus Ruiz, olim Vicarius generalis Romæ, Pater Magister fr. Ildephonsus de Molina, qui prædictæ Prouinciæ fuerat Prouincialis, & Pater Magister fr. Didacus de Velasco, qui in eadem Prouincia aliquando adfuit, qui etiam affirmauerunt conuenientissimum esse ipsam Prouinciam supprimi, in eoque statu in perpetuum permanere, in quo erat antea, quam in Prouinciã fuisset erecta.

Item eidem sancto Diffinitorio petitionem obtulit Reuerendiss. dominus D. frater Gaspar Prieto electus Episcopus del

Alguer, qui totius Ordinis Magister Generalis extiterat, in qua aiebat, quod cum ob dictam suam ad Episcopatum promotionem tempus officij sui consumasset, paratum se offerebat ad examen, & residentiam præstandam, necnon computum, & rationem reddendā omnium receptorum, & sumptuum sui regiminis: sed quia Pater Præsentatus fr. Petrus de Guzman Commendator conuentus Matritensis aliquoties iactauerat, prædictum dominum Episcopum electum desiderasse talem in prædicto officio Magistri Generalis successorē, qui in eodem computo, & prædicta ratione reddenda secum mitiorem, quam par erat, segereret, & alia huiusmodi, proinde postulabat à Reuerendiss. nostro Magistro Generali, & Diffinitorio prædictum Patrem, qui hoc conuētu nunc aderat, circa hæc vocari, & audiri, necnō etiam orabat, ne sibi Patres aliqui, vti alias fieri solebat, assignarentur, quibus rationem redderet, sed quod vniuersum Diffinitorium prædicta computa sua examinaret, ad quorum maiorem, & pleniorem iustificationem Reuerendiss. Magistro Generali supplicabat, vt à prædicto Difinitorio sua Reuerendiss. Paternitas exiret, simulque etiam Reuerendiss. Dominus Episcopus de Paraguay frater suus germanus, & quāuis prædictum Diffinitoriū Reuerēdiss. Patri nostro Magistro Generali sæpe sæpius enixe supplicauit, ne vlla ratione exiret, eo quod & caput illius, & omni exceptione maior Reuerendiss. sua Paternitas erat, nihilominus, & ipse Reuerendiss. Pater Generalis, & dominus Episcopus de Paraguay è Diffinitorio exierunt, & incontinenti vocatus adfuit predictus Pater Præsentatus fr. Petrus de Guzman, & ab ipso Diffinitorio interrogatus, & requisitus, si quid, vel quod prædicto computo opponeret, aut circa fidelitatem ipsius domini Episcopi electi, quid diceret, habebat, proferret; nam & Diffinitorium paratum erat in omnibus, & per omnia iustitiam seruare, respondit sibi pro tunc nihil offerri, quo audito Diffinitorium ad prædicta computa receptorum, & sumptuum examinanda processit, quibus visis, & auditis, & omni rigore examinatis ab ipso sancto Diffinitorio pro legitimis, & fidelibus in omnibus habita, & pronuntiata fuere, & quamuis sumptus excessit recepta in aliqua quantitate, Reuerendissimus Episcopus religioni eam remisit, & similiter

Diffi-

Diffinitorium decreuit ex parte ipsius maximas gratias referri Reuerendiss. domino Episcopo del Alguer, ob maxima beneficia ab ipso religioni collata, atque ita factum est, iussitque Diffinitorium in libro Ordinis omnia hæc literis exarari, ad memoriam, & peculiarem recommendationem prædicti domini Episcopi, & statim Diffinitorium ingressi fuerunt Reuerẽdiss. Pater noster Magister Generalis, & Episcopus de Paraguay Diffinitor.

Item prædicto sancto Diffinitorio pro parte dominorũ Marchionum de Fuentes postulatum est, vt confirmaret Patronatũ Prouinciæ Bethicæ, & sepulturam Ecijæ prædictis dominis cõpetentes, & sancitum est Diffinitorum confirmare prædictum Patronatum, & sepulturam, eo modo, & forma, quo, & qua, ad ipsos dominos Marchiones pertinebat ex clausulis, & verbis testamenti dominæ Mariæ de Guzman, & cæterorum instrumentorum, quæ inter ipsos, & prædictam Prouinciam Bethicæ facta sunt.

Item ad pleniorem obseruationem nostri instituti, scilicet Redemptionis Captiuorum decretum, & iussum est, vt in Prouincijs Aragoniæ, & Valentiæ, in quibus numerus Præsentatorum â constitutionibus assignatus nondum expletus est, assignẽtur, sicut præsenti decreto assignantur sex præsentaturæ in Prouincia Aragoniæ, & tres in Prouincia Valentiæ, ex ipsis de numero prædictarum Prouinciarum, & non aliarum, quæ vt præmio proposito feruentius agant, possint Prędicatoribus concedi, qui per spatium duodecim annorum continuo prædicauerint cum laude, & Prælatorũ approbatione per loca assignata, quæ veredas vocantur, ad eleemosinas pro redemptione captiuorũ colligendas, ita vt semper intelligatur, & fixum permaneat præsentatos, quos vocãt lecturæ huiusmodi præsentatis prædicationis semper esse antea habẽdos in omnibus, & per omnia, nunquamque vtrosque tam lecturæ, quam prædicationis numerum constitutionum excessuros, & assignationem prædictorum locorũ, & viarum, per quæ, & quas prædicatio est exercenda, Diffinitorium Reuerendiss. Patri nostro Generali remisit.

Item decretum est Patrem Priorem domus Barchinonensis, vel præsentem, vel pro tempore existẽtem, qui vacante officio

Generalis Magistri, Vicarius generalis extiterit, eo quod decentissimũ sit speciali honore affici eum, qui vniuersi Ordinis supremi capitis grauissimo munere functus fuit, si quando prædictũ munus obire incepit, Præsentatus tantum erat, Magistrũ eo ipso effici Prouinciæ Aragoniæ, & pro nũc concesso titulo, atque exemptionibus, decreuit sanctũ Diffinitoriũ exorari sanctitatem suam, sicut præsenti decreto humiliter oratur, quatenus dignetur gradum prædictum Magisterij confirmare.

Item habita consideratione peculiaris affectus, quem vniuersus ordo gerit erga domum, & conuentum Barchinonẽsem, cuius prouentus in omnibus summopere ordo desiderat; decreuit sanctum Diffinitorium, vt sanctitas sua humiliter, & efficaciter oretur, quatenus literas in forma breuis impertiatur, facultatẽ tribuendo ad hoc, quod bona fratrum in Prouincijs Indiarum degentium, qui Prouinciarũ Hispaniæ filij sint; & in proximo futuro quinquennio obierint, prædictę domui Barchinonẽsi ad eam ędificandam applicentur, iuxta formam, & tenorẽ concessionis suæ sanctitatis, & similiter decretum est, fratrem quẽdam ordinis Prouinciæ Aragoniæ, quem Reuerendiss. Pater noster Generalis destinabit in Indiarũ partes transmitti; qui & bona prædicta defunctorum, & eleemosinas in illis Prouincijs prædictæ domui tributas curet, & colligat.

Item in prædicto Diffinitorio consultatio facta est circa honorẽ, & dignitatem maximam religioni accrescẽtem ex cultu publico, & canonizatione sanctorũ Ordinis nostri, atque adeò maxime religionem interesse omni cura, & diligẽtia id negotij procurare, qua propter Prouinciæ, quæ præsentes aderãt, & breui, quod promisissent, exequi poterãt, se adstrinxerũt ad quantitates sequentes contribuẽdas. Prouincia Castellæ ad quingentos ducatos monetę argenteæ duplicis: Prouincia Vandaliæ ad quingentos ducatos eiusdem monetæ: Prouincia Valentiæ ad quatuor mille regales: Prouincia Aragoniæ ad sex mille regales eiusdem monetæ: Regnum scilicet Aragoniæ ad tria millia: & Principatus Cataluniæ ad alia tria, additumque est sanctum Diffinitorium facultatem concedere cuicumque Prouinciæ eo medio indigenti, ad prædictam quantitatem persoluendam, vt eam ad annuum censum accipiat, & signatim Prouincia Valen-

tiæ,

tiæ, vt prædictam possit quantitatem extrahere ex pecunia promptiori, quacunque ratione ad eam pertinenti.

Item Pater Magister fr. Gaspar Fito Diffinitor Prouinciæ Valentiæ in eodem Diffinitorio proposuit, quod cũ ipse summopere desiderasset literarum studia dictæ Prouinciæ in dies magis, ac magis incrementum accipere, & augeri, cumque ad eum finem aptissimum esse medium fratres eiusdem Prouinciæ in nostro collegio Salmanticensi literis operam nauare omnibus notũ sit; vt id executioni mandetur, ipse ex nunc obligari vult, & adstringi ad sex mille regales monetæ argenteæ duplicis prędicto collegio ex suo deposito concedendos ea lege, vt ipsum collegium duos semper teneatur fratres ex eadem Prouincia Valentiæ in collegas admittere, & alere in prædicto collegio; dummodo prius examen sui generis præcedat, iuxta statuta prædicti collegij, qui duo fratres in omnibus, & per omnia collegæ sint, sicut cæteri eiusdem collegij Prouinciarum Castellæ, & Vandaliæ collegæ, simulque dixit se cupere quidquid circa hoc sanctũ Diffinitorium decreuerit, per sedem Apostolicã ad maioris firmitatis robur confirmari proprijs ipsius Patris Magistri Fito expensis, & sanctum Diffinitorium id omne approbauit, & acceptauit, facultatem concedens eidem Patri Magistro fr. Gaspar Fito, vt ex pecunia sui depositi prædictos sex mille regales concederet, & collegio Salmanticensi, vt possit prædictam conuenientiam, & obligationem in se admittere. Confirmatque ex nunc quæcunq; instrumenta, quæ inter partes super hoc fieri expediret. Decreuitque à sede Apostolica confirmationem peti eiusdem Magistri expẽsis, cui Diffinitorium, vt de Prouincia sua benemerito Patri gratias egit.

Rursus idem sanctum Diffinitorium collegio Salmanticensi adiudicauit, & concessit bona illa, quæ prædictum collegium in ciuitate Ciuitatensi sibi recipit (potestate ad id facta à Magistro fr. Matthæo de Villarroel Procuratore generali Indiarũ) ad religionem pertinẽtia, ex hæreditate fr. Dominici Castalno in prouincia del Cuzco demortui, vt eisdẽ proprietate, & possessione fruatur, inter quæ reliqua sibi propria computet.

Item confirmata, & aprobata fuere officia Procuratorũ generaliũ Romæ, Matriti, Vallisoleti, Granatæ, Hispalis, atque

Valentiæ,& ex Prouincia Aragoniæ, quæ Reuerendiſs. Pater noſter Magiſter Generalis deſignauerit, ita autem vt aliud quodcũque Procuratoris generalis officium,vel nomen, neque admittitur,nec permittitur; nunc vero confirmata exemptionibus,& priuilegijs hucuſque conſuetis gaudeant, exceptis tamen limitationibus in hoc Capitulo declarandis.

Rurſus decreuit ſanctum Diffinitorium domum ad religionem pertinentem in ciuitate de Sanlucar, ex parte legitimæ cuiuſdam fratris Prouinciæ del Cuzco,aſsignatam ex nunc manere hoſpitio fratrum ad Indiarum partes euntium,indeque in Hiſpaniam redeuntium,ſimulque commiſſum eſt Patri Prouinciali Vandaliæ,vt aſsignet fratrem, qui prædictam domum curet,& adminiſtret, prout magis expediens Patri Prouinciali viſum fuerit.

Deinde Pater Magiſter fr.Chriſtophorus Ruiz Commendator Vallifoletanus Prouinciæ Caſtellæ, & pro eadem Prouincia Diffinitor in eodem Diffinitorio propoſuit,quam plurimos fratres eiuſdem Vallifoletani conuentus filios in Indiarum partibus diem ſuum obijſſe,quorum bona,vt fieri debebat,ad prædictum conuentum tranſmiſſa hucuſque non ſunt, cuius rei remedium expoſcebat.Et ſanctumDiffinitoriũ decreuit Patribus Vicarijs generalibus Indiarum ex nunc ſtricte commendari, vt inquiſitione facta fratrum prædicti conuentus filiorum, qui deceſſerint,bona eorum prædicto conuentui remittant.

Item negotiorum, quæ Romæ à Patre Procuratore generali tractantur grauitate conſiderata, vt præmio propoſito diligentius ea exequatur; decretum eſt, vt qui per quinquennium eo munere laudabiliter,& cum ſuperiorũ ſatisfactione,illorumque mandatorũ fideli obſeruatione, & executione functus fuerit; ſi Præſentatus extiterit,inter Magiſtros ſuæ Prouinciæ admittatur:ſi vero Magiſter extiterit, votũ in prima Magiſtri Generalis electione pro illa vice dũtaxat habere poſsit, & debeat iuxta literas fœlicis recordationis Pauli quinti id concedentis, in libro Ordinis deſcriptas in Capitulo generali Guadalphaxaræ habito anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo.

Item paci,quietique vniuerſæ Religionis conſulendo in electione Magiſtri Generalis,negotio inter ea,quæ ad eligendum

ſpectant

ctant fine dubio grauissimo, & experientia sæpe sæpius habita attenta discordiarum, & diuisionum in duo Capita, quibus Patres Prouinciæ Galliæ impliciti ad Capitula Generalia sæpius accesserunt, quod in altera Prouincia hucusque euenire non est visum: considerans sanctū Diffinitorium magis fieri debere vniuersæ Religionis pacem, commodumque, quam vnius, & si grauis, & admodum obseruantis Prouinciæ vtilitas fieri oporteat: decreuit, quod quandocunq; prædicti Prouinciæ Galliæ Patres in duo capita diuisi ad prædictam electionem accesserint, nulla ratione vocem in ea habeant, aut habere possint, neque necessarium sit ad qualificationē, seu examen eorum accedere die veneris ante electionem, vt cōsuetum est; sed quod prædictorum Patrum causæ, atque dissensionum cognitio ad Diffinitoria post electionem habenda remittātur, sine illorumque suffragijs electio fiat, & ex nunc Diffinitorium suæ sanctitati humiliter supplicat, quatenus eisdem rationibus permota hoc decretum confirmare dignetur, & similiter Diffinitorium confirmat actū Capituli generalis proxime præcedentis Cæsaraugustæ, celebrati anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, quo statutum fuit Patres vocales Galliæ debere afferre instrumenta, quibus voces habere constet, per Parlamentum legitimata, sicut in eodem decreto dicti Capituli continetur.

Item Diffinitorium decreuit, obseruari breue fœlicis recordationis Pauli quinti in prædicto Capitulo generali Guadalphaxaræ, anno sexcentesimo decimo octauo descriptum, quo Capitula intermedia, vel quæcumque aliæ congregationes intermediæ sublata, & sublatæ fuere, Reuerendissimumque Patrem nostrū Generalem posse licite, & libere vti prędicto breui in confirmatione graduum extra Capitulum, & cæteris ibi contentis.

Rursus Diffinitorium, juxta id, quod similiter factum fuit in Capitulo Generali Calataiubij, celebrato anno Domini sexcētesimo decimo quinto, Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali commendat, & supplicat, vt sacras nostri Ordinis constitutiones prælo mandari faciat, materias earum ad loca propria reuocando, & copiosum indicem addendo; necnō processionaria, quibus conuentus non pauci indigeat, & officia ab ordinis fratri-

fratribus recitanda, additis officijs sanctorum Patrum nostrorũ Raymundi Nonati; & aliorum sanctorum, quæ â sede Apostolica Deo volente fuerint obtenta.

Item Diffinitorium omnibus Patribus Commẽdatoribus totius Ordinis præcipit, vt magna diligentia videant, quæ priuilegia Apostolica, & Regia, vel quæcunque alia indulta, aut literæ Apostolicæ in archiuis conuentuum reperiantur, quorũ omnium transsumpta fideli, & sufficienti authoritate munita Reuerendiss. Patri nostro transmittant, idque Patres Prouinciales exequi faciant, & vt committatur fratri alicui literato, & ad id muneris apto, vt ea disponat, & exponat diligenter, similiterque commendatur Reuerẽdiss. Generali, vt secundam partẽ Ordinis Choronici diligentissime, & qua poterit breuitate, in publicum edi procuret.

Rursus pro parte Illustrissimi domini D. Lupi Diaz Aux de Almendariz, Marchionis de Cadereither, â Diffinitorio petitum est confirmari Patronatum sibi competentem maiorum sacellorum conuentuum Tudelæ, Stellæ, & Sanguesæ in Regno Nauarræ, in Prouincia Aragoniæ, sicuti eosdem Patronatus Reuerendiss. Generales præcedentes cõfirmauerant, sanctumque Diffinitorium dixit se confirmare predictos Patronatus in forma, & modo in instrumentis desuper confectis, contentis, simulque vniuersus ordo se gratissimum profitetur deuotioni, & charitati maximæ, quæ erga ipsum prædictus dominus Marchio semper exhibuit.

Item in eodem Diffinitorio consultum est circa assignationes, & nominationes Vicariorum, aut Visitatorum generalium Indiarum Piru, scilicet, & Nouæ Hispaniæ, necnon Procuratoris, & Vicarij generalis Romæ, & Italiæ, & vniuersum Diffinitorium voces, votaque sua comiserunt in forma compromissi, Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali, potestatem illi tribuendo ad prædictam nominationem per se solum faciendam, oratque Reuerendiss. Paternitatem suam, vt eligat Patres morum honestate, & prudentia, atque alijs virtutibus conspicuos; tum quia ad munera prædicta obeunda decet esse huiusmodi; tum quia Regium consilium Indiarum Secreta Inquisitione qualitates Patrum prædictorum discutit ad prædictas assignationes

tiones admittendas, similiter eidem Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali commissum est, vt possit alios Vicarios generales assignare, & nominare, si prius nominati, vel decedant, vel officio debeant priuari.

Item circa eosdem Patres Vicarios, aut Visitatores generales Indiarum, vel iam ibi existentes, vel pro tempore futuros decretum, & sancitum est nulla ratione ad hæc regna posse remeare absque licentia Reuerendiss. Patris Generalis, quam nõ concedat, nisi grauissima causa intercedente, quousq; residentiam suorum officiorum successori pręstiterint, & circa eos, qui post dicta officia exercita in Hispaniam remearunt, statutum est, quod quousque à prædicta residentia absoluti, moresq; eorum, regimen, & computa approbata sint, nulla ratione ordinis munera, vel officia obire possint, quod strictissime absque vlla dispensatione obseruetur.

Item quia Patres Redemptores, qui nũc in Africa Redẽptionem exequentes existunt, nulla ratione in hoc Capitulo ad cõputa sua reddenda adesse potuerunt, sanctum Diffinitorium remittit Patri nostro Reuerendiss. Magistro Generali, vt simul cũ Patre Prouinciali eius Prouinciæ, cuius quilibet Redẽptor extiterit, computa prædicta sumat, atque examinet, nullumque præiudicium prædictis Patribus Redemptoribus sequatur, ex eo quod in hoc Capitulo prædicta computa nõ reddiderint, ad officia, & munera in suis Prouincijs, & ordine obtinenda.

## *DECRETA CIRCA EA, QUAE AB omnibus obseruari in hoc Capitulo præcipiuntur.*

PRimo ordinat, & præcipit hoc sanctum Diffinitorium, vt ab omnibus summa cura, & ad vnguem obseruentur regulæ sancti Patris nostri Augustini, & constitutiones Ordinis nostri, cum in illarum rigorosa, & stricta obseruatione vniuersa perfectio vitæ regularis cõsistat, eo quod contineant quidquid ad eam conducere potest, super quod inuigilent omnes Prælati.

Item ad euitandam legum & constitutionum multitudinem

ordinamus, & mandamus pro reuocatis haberi, sicuti præsenti decreto reuocamus omnia, & quæcunque decreta, statuta, acta; vel ordinationes præcedentium Capitulorum Generalium, & Prouincialium, quæ in hoc Capitulo confirmata non fuerint; insuper etiam humiliter supplicamus sanctissimo domino Papæ, vt reuocet etiam statuta ab illa sede Apostolica, præter constitutiones confirmata, ita vt præter regulam, & cõstitutiones, & consuetudines proficuas legitime introductas solummodo obseruari debeāt huius Capituli decreta, in quibus quidquid tēporis decursu conueniens esse cognouimus, continetur.

Item quia experientia compertum est grauissima nocumenta regulari obseruantiæ, & bono communi religionis inferri, insuper cæteris fratribus; & ipsis conuentibus graues iniurias, atque aggrauationes irrogari ex exēptionibus, & priuilegijs, quibus aliqui hucusque gauisi, & vsi sunt: Hoc sanctum Diffinitorium, tum huius generalis Capituli auctoritate, tum etiam sanctissimi domini nostri Vrbani octaui id præcipientis facultate per literas in forma breuis à sua sanctitate emanatas Romæ die trigesima Iulij, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimosexto, declarat reuocatas, & nullius roboris esse deinceps, & ex nunc reuocat, & pro nullis habet omnes, quascūque & singulas gratias, & exemptiones, atque immunitates, tam à sede Apostolicà emanatas, quam à quibuscunque ordinis nostri Capitulis, seu Prælatis quauis causa, modo, & tenore verborum, quibuscunque ordinis nostri religiosis cuiusuis conditionis, & qualitatis concessas, siue ad hoc vt possint ab esse à choro certis diei, vel noctis horis, vel à refectorio statutis temporibus, de non seruiendo altari, plures missas pro sua intentione celebrandi, quam quæ cuilibet secundum conditionem, & qualitatem illius, à constitutione conceduntur, siue sedendi in loco antiquiori, seu in mensa (quam vocant transuersam) licentiam hoc, vel illo modo petendi, aut sine illa è domo, aut loco exeundi, portionum determinatarum, seu quas dicunt exemptiones Prouincialium in his Prouincijs, in quibus nunquam Prouinciales, extiterunt, exceptis fratrum antiquiorum, eorum, qui lectionibus sacræ Theologicæ incubuerunt, Prædicatorum, & Magistrorū nouitiorum inferius declarandis, quæ omnes gratiæ, & quæcunque

cunque aliæ hic non expressæ quocunque nomine censeantur, ex nunc reuocantur, & pro nullis, ac si nunquam concessæ fuissent habentur, & ad maiorē rei firmitatē supplicatur sanctitati suæ, vt huiusmodi ordinationē confirmare, & stabilire dignetur. Rogamusque Reuerendiss. Patrē nostrum Magistrum Generalem, vt nulla causa, vel titulo prædictas, vel alias exemptiones concedat; & quia eadem experientia cognouimus hæc, & alia grauiora damna etiam subsequi ex gradibus Magistrorū, & Præsentatorum, qui vltra numerum per constitutionem assignatum in Prouincijs Ordinis introducti sunt, sanctum Diffinitorium vota sua commisit Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali, vt totius Ordinis nomine sanctissimo domino nostro Papæ supplicari faciat, cui etiam id ipsum supplicat Diffinitorium præsenti decreto, quatenus reuocare iubeat, & reuocet, & pro nullis haberi declaret omnes, & quoscunque gradus supra numerarios, tam Præsentatorum, quam Magistrorum, ita vt in vnaquaque Prouincia Magistri, & Præsentati numerum à constitutione assignatum non excedant; manentibus eisdem gradibus de numero in illis ipsis fratribus, qui eos nunc obtinent, quacunque via, & ratione id factum fuerit, ad maiora inconuenientia vitanda, pacemque Ordinis confirmandam, quod etiam ita intelligatur, vt ex dicta reuocatione graduum super numerariorum excipiantur in præsenti Capitulo admissi ob causas iustas, & rationabiles suis locis expositas, & cæteri, quos Reuerendiss. Patri nostro Generali placuerit, cōseruare, vel admittere, attentis veneranda senectute, & meritis Patrum, qui prædictos gradus obtinuerunt, dummodo causæ huiuscemodi sint certissimæ, & iustissimæ. Insuper declarat sanctum Diffinitorium, quod si ex reuocatione graduum Magisterij vltra numerum præiudicium secutum fuerit alicui, qui Præsentaturam (del numero appellatā) iam possederit, ita se res habeat: quod qui prius prædictam præsentaturam obtinuerit, & nunc amittit, aliam adquirat, scilicet illius, qui posterius adquisiuit, ita vt sine illa relinquatur, qui omnium postremus Præsentatus designatus fuit.

Rursus, ordinamus, & mādamus, vt fratres, qui per quadraginta annorum cursum habitum nostræ religionis portauerint, ab-

ſoluti ſint à matutinis media nocte recitandis,& primis,& regulariter ab Epiſtola,& Euangelio in Miſſa decantandis; omnes autem in his decretis non expreſsi à Vicario conuentus exclusi ſiue ad officium hebdomadarij teneantur cuiuſcunque ætatis, vel conditionis exiſtant. Monentur vero Patres Prouinciales, vt Commendatores compellant tribuere neceſſaria fratribus natu maximis,& graui ætate,aut valetudine impeditis,inſuper fratrem,ſiue laicum,ſiue iuuenem,qui illis ſecundum neceſsitatem miniſtret,prouideant.

Item conſideratione habita honoris maximi,& plurimorum bonorum,quæ ex literarum ſtudijs Ordini noſtro aduenerunt, atque in dies adueniunt,ne defectu premij res tanta decreſcat: Ordinamus,atque mandamus,vt qui ad præſentaturæ gradum à Capitulo Prouinciali expoſiti fuerint,necnon à Capitulo generali,ſeu Magiſtro Generali extra Capitulum confirmati, & inſuper octo annorũ ſpatio lectionibus Artium,& ſacræ Theologiæ incubuerunt, atque actu eiſdem lectionibus incumbunt vſque ad tempus ad Magiſterij gradum obtinendum præfinitum,etiam ſi nondum obtinuerint præſentaturæ gradum,omnibus,& ſingulis præſentatorum exemptionibus fruantur (exceptis voto,Paternitate,& loco ſedendi)qui vero quinque annorum ſpatio tantum lectionibus operam dederunt,& ſi expoſiti,& confirmati ſint,gaudeant exemptionibus chori, & altaris,& nulla alia exemptione, gratia,vel titulo. Patres vero qui ad Magiſterij gradum expoſiti ſunt,& cõfirmati,quamuis prædictum gradum Magiſterij de numero nondum obtinuerint, dummodo preſentati de numero iam exiſtant,volumus habere locum ſedendi reliquis preſentatis,& Vicario antiquiorem,ita vt ſemper illis titulus Magiſterij tribuatur, reliquæ vero eiuſdem Magiſterij exemptiones arbitrio Generalis Magiſtri viris adeò dignis poterunt concedi, ſed circa patres Lectores actu legentes nihil innouatur.

Rurſus,quia munus,& exercitium prædicationis verbi Dei in maximum cedit religionis honorem, & fidelium prouẽtum: Ordinamus,& mandamus,vt in vnoquoque conuentu Ordinis noſtri aſsignetur prædicator quidam conuentualis, qui irremiſsibiliter inter ſignum,& ſignum prandij caſum conſcientiæ conferat,

ferat, vti fieri consueuerat, & conciones sibi iniunctas ad populum habeat, & qui in prædicto munere decem annorum spatio durauerit, possit exponi ad præsentaturam prædicationis, & aliter, vel ante exponi, vel confirmari ad dictas præsentaturas non possit, & dum prædicationis prædictum munus exercuerit, & casum conscientiæ contulerit, à matutinis media nocte recitandis prima, & nona, atque altari eximatur: insuper & Missam vnam pro se celebrare possit vltra â constitutione assignatam: si autem prædictum casum conscientiæ omiserit, nulla harum exemptionum gaudeat, in quo Prælatorum cõscientias oneramus, & in conuentibus sexaginta fratrum, & vltra duo Prædicatores assignētur, qui per hebdomadas prædictum conscientiæ casum conferre teneatur.

Item ad semel radicitus euellendum abusum maximum contra religionis decentiam, & ordinem hierarchicum introductum, quem sæpe sæpius pœnis iniunctis tolli frustra conatum est: Ordinamus, & mandamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ sub forma præcepto, & sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ ipsofacto incurrenda, vt nullus frater cuiuscunque qualitatis, & conditionis existat, alium religiosum Paternitatis nomine compellet, seu vocet, nisi Patres Magistros, & Præsentatos votum in Capitulo habentes, Diffinitores generales, & Prouinciales, Electores generales, Secretarios generales, & Prouinciales; necnon Commendatores, qui triginta ab hinc annis habitum Ordinis gestauerunt, & Procuratores generales Romæ, & Matriti, nullumque alium cuiuscunque ætatis, conditionis, & qualitatis existat, & Patres prædictos sub eisdem præcepto, & censura Paternitatis nomine vocent omnes, nulla autem ratione inter se fratres sub eadem censura mercedis nomine compellentur.

Item ordinamus, & mandamus, vt Patres Procuratores generales omnes (excepto Romano, & Matritensi) ê domo nulla ratione exeant, nisi petita, & obtenta licentia à Prælato ordinario illius, quodque teneantur choro adesse, & cæteris actibus communitatis.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt nullus gradum Præsen:a

turæ obtinere posſit, niſi triginta annorum ætatem habeat, etiã ſi ante illos, quod neceſſum eſt, ad prædictum gradum expleuerit, moneturque Reuerendiſs. Generalis, vt nulla ratione diſpenſet in hoc decreto, ob religionis decentiam, & auctoritatem.

Item ordinamus, & mandamus, vt Patres Prouinciales in viſitationibus curſus probationes, quos lectores peregerint, nec non preſidentiarum concluſionũ ſe ipſis omni rigore peragant, & ſi eorum viſitatio differenda eſt, probatioque prædictorum neceſſario fieri debeat, id committant fratri graui, & fidedigniſsimo, in quo eorum conſciencias oneramus.

Item confirmamus iam diu ordinatum, & exequutum, ſcilicet, vt ad Præſentaturę gradum obtinendum, neceſſariũ ſit per tres annos decem menſium integram Ariſtotelis logicam, & philoſophiam perlegere, & inſuper duos curſus octo menſium ſacræ Theologiæ, poſt quot annos ad Magiſterij gradum neceſſum ſit per ſex curſus octo menſium ſacram Theologiã docere: ſimiliter quod teneantur lectores ſemel in anno concluſionibus publicis præſidere, præter conferentias quotidianas, & concluſiones dominicales, & qui in aliquo horum defecerint, nulla ratione illis ſuffragentur curſus tranſacti ad gradus ipſos obtinendos.

Rurſus cum admodum referat fratres iuuenes non diſtrahi, oneramus conſcientias Patrum Prouincialium, ne licentiã concedant religioſis non Sacerdotibus, etiam ſi ſint collegæ (niſi forte ex grauiſsima, & neceſſaria cauſa, idque raro; vt extra cõuentus maneant, neque, vt ad ciuitates, & loca, in quibus conuentus non habemus, accedant, neque vt in domibus parentum maneant in prędictis locis, in quibus conuentus non habemus, niſi breuiſsimo tempore facultas concedatur; & in pernoctationibus extra conuentus obſeruetur quod inferius præcipitur.

Item, quia ab educatione nouitiorum vniuerſa religionis fabrica conſurgit, oneramus cõſcientias Patrum Prouincialium, vt maxima diligentia, & ſtudio nouitiatuum clauſuram curent, atque in Magiſtris nouitiorum eligi procurent fratres religione, prudentia, & ætate matura pollentes, quibus nouitiorũ Magiſtris

gistris præsenti decreto exemptiones ab altari cōcedimus; nec non, vt vltra communem aliam pro se Missam possint celebrare, & insuper Capitulis Prouincialibus committimus, vt honore afficiant fratres, qui in huiusmodi ministerio laudabiliter se gesserint.

Rursus præcipimus, ne Patres Commendatores dispensent, vel dispensare possint in ieiunio sextæ feriæ, non tantum cum vniuersa communitate, sed neque cum aliquo fratre peculiariter, quodque prædictæ feriæ sextæ nocte nullum fiat, nisi pro infirmis condimentum.

Item ordinamus, & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, sub pœna priuationis officiorum, vt nulla causa, excusatione, vel colore Patres Commendatores infirmis id, quod medicus iusserit, concedere omittat, sanctumque Diffinitorium onerat conscientias Patrum Prouincialium, vt prædictam pœnam sine vlla dispensatione exequantur in eo, qui semel tantū in hoc defecisse inuentus fuerit.

Rursus ordinamus, & mandamus, quod Patres Commendatores vestes fratribus tribuant, ita vt in quocunque triennio integer habitus, caligæ, & calcei, iuxta possibilitatem domus donentur, sub pœna priuationis officij, & specialiter, quod Patres Commendatores vestuarium sibi non assumant, si rebus quis fratribus nō dederint; & grauamus conscientias Patrum Prouincialium, ne in visitationibus suis in computis, quod aliter factū fuerit, acceptent.

Item ordinamus, & mandamus, quod Patres Commendatores non absint notabiliter à commēdis suis, neque ad id Patres Prouinciales licentiam concedant; deinde quod ijdem Patres Commendatores conuentuum expensis nō itinerentur, nisi ad rem ad conuentum pertinentem, quæ per alium fratrem commode geri non posit, & de consilio eiusdem conuentus iter fieri oporteat, quodque nulla ratione consumere legitimas, bona immobilia, capitalia censuum, vel alios census de nouo imponere sine licentia speciali Patrum Prouincialium queant; & circa legitimas vlterius precipimus, vt nulla ratione à Commendatore, vel etiam à conuentu ipso conuentiones, aut pacta, vel renūtiationes circa eas vlla ratione, vel causa fieri possint absque

expressa

expressa licentia Patris Prouincialis à Reuerendiss. Patre Generali specialiter confirmata, & si forte sine vtriusque licentia, & confirmatione prædictæ conuentiones factæ fuerint, de cætero ex nunc eas nullas, & nullius roboris esse decernimus, Cōmendatorque, qui illis interfuerit, officio suo priuetur.

Item præcipimus, vt neque se ipsis tantum accipiant, vel in sumant magnas, vel paruas quātitates, vel in operibus, seu ędificijs non vrgentissimis absque eadem licentia aliquid insumant, vel ad habitum nostri Ordinis aliquem sine eiusmodi licentia recipiant: quæ omnia sub pœna priuationis præcipiuntur: insuper illis imponitur, ne â choro absint, sed potius irremissibiliter eidem intersint; & quem in hoc defecisse Patres Prouinciales cognouerint, vel suspendant, vel ab officio priuent, iuxta modum relaxationis, vel defectus: onerantur que consciē tiæ Patrum Prouincialium, vt super hoc inuigilent, & pœnam exequantur. Quantum vero attinet ad computa facienda, & Depositarios, seu Clauigeros nominandos, confirmatur quod per Capitula Generalia, & Prouincialia super hoc ordinatum, & in vsu est.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt Patres Prouinciales in visitationibus suis facultates omnes audiendi confessiones Patribus non graduatis concessas suspendant; eosdemque fratres cuiuscumque conditionis extiterint, ad examen omni rigore subeundum iterum vocent, & defacto iterum examinēt, sicuti per sacras nostras constitutiones semel, & iterum dispositum est, idque propter maxima inconuenientia, quæ ex opposito sequuntur, quorum omnium ante Dei tribunal superiores reddent rationem.

Item ordinamus, & mandamus, quod nullus ab habitu nostrę religionis expellatur, quinpotius per sex menses in carcere detineatur: quodque Patres Prouinciales carceres assignent in vnaquaque Prouincia, ad quas mittant fratres custodiendos, vel corrigendos.

Rursus hoc sanctum Diffinitorium Reuerendiss. Patris nostri Generalis conscientiam grauat, ne in vllo euentu, cui alia via possint subueniri, immediationes sibi ipsi, & à Prælatis sibi inferioribus exemptiones concedāt; ex nuncq; præsenti decreto

omnes

omnes immediationes eiusmodi à quocunque religionis Prælato, vel Capitulo fratribus Ordinis nostri cuiuscunq; status, vel conditionis concessæ reuocantur, & reuocatæ censentur, propter maxima inconuenientia experientia teste secuta.

Item ordinamus, & mandamus, quod nullus frater subditus, vel Prælatus pernoctare audeat, vel possit extra conuentum in locis, in quibus eos habemus, Prælatisque præcipimus sub pœna priuationis officij, vt id alteri non permittāt, neque ipsi extra conuentum pernoctare audeant, quodcunque titulo vel colore quæsito, neque etiam in domibus consanguineorum, vel parentum: præcipiturque Patribus Prouincialibus, vt prædictam pœnam, si contrarium actum fuerit, exequantur, quin quæuis alia causa necessaria sit.

Rursus sanctum Diffinitorium Reuerendiss. Patrem Generalem rogat, vt nulla ratione facultatem concedat ad hoc vt alterius professionis fratres ad ordinem nostrum recipiantur, & vt supplicari faciat Illustriss. domino Cardinali Protectori, ne eandem facultatem præstet: similiterq; ordinamus, & mandamus, quod si quis frater nostri Ordinis ad alium transitum fecerit, si iterum ad nostrum reuertatur, nulla ratione tempus extra ordinem transactum illi ad antiquitatem computetur,

Item quia maxime refert licentiam, & libertatem coercere, qua aliqui fratres laici obedientiam, & regularem obseruātiam deserentes, fugitiui diuagantes extra hæc regna, ad ordines sacros ascendunt, ex quo maxima inconuenientia sequuntur, & quamuis sæpe sæpius in Capitulis generalibus pœna trirremiū imposita est eiusmodi delicta perpetrantibus, nihilominus non desunt, qui adhuc ea cōmittant: ordinamus, & mandamus, quod frater laicus qui sine suorum Prælatorum licentia ad prædictos ordines ascēdere ausus fuerit, per Patres Prouinciales, & Commendatores, seu quoscunq; eorum ad statū laicorū irremissibiliter reuocetur sine vlla dispēsationis spe, ita vt neq; rasura choristarum, neq; Epistolam, aut Euangelium decātare, neq; quodcunque aliud fratrum clericorum exercitium illis permittatur, hoc enim sanctū Diffinitoriū ita fieri posse declarat. Oneramusque conscientiam Reuerendiss. Patris nostri Magistri Generalis, vt nulla ratione cum prædictis laicis dispenset, suppliceturque

D prædi

prædicto Illustriss. Cardenali Protectori, vt similiter faciat: simulque oramus Reuerendiss. Paternitatem suam, ne vlla ratione ad prædictos ordines recipiendos fratribus prædictis facultatem concedat, cũ constet hac spe huiusmodi fratres plurimũ relaxari, idque in religionis perniciem non exiguam cedere.

Rursus cõformiter ad nostras sacras constitutiones, distin. 2. cap. 20. & ordinationes sæpe sæpius repetitas Capitulorum generalium, præcipue ad decretum Capituli Matritensis, anni millesimi sexcẽtesimi sexti, per Paulum quintum fœlicis recordationis cõfirmatum: Ordinamus, & præcipimus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, sub formali præcepto, & sub pœna excommunicationis maioris latæ sententiæ, & priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, & inhabilitatis perpetuæ ad officium, vel honorem prætẽsum, & reliqua ordinis officia, & alios honores, & sub alijs pœnis, quas imponit cõstitutio, scilicet grauioris culpæ, & similibus, vt nullus frater Ordinis nostri, cuiuscunque status, & conditionis extiterit, vel per se, vel per alium, directe, vel indirecte pro se, vel pro alijs eiusdem ordinis fratribus gratiam aliquam, officium, honorem, dignitatem, munia, vel Prælaturas in dicto Ordine per personas extra ordinem constitutas, tam ecclesiasticas, quam sæculares, vel quascunque communitates, verbo, aut scripto, à Prælatis, seu Capitulis nostri Ordinis obtinenda procuret: oneraturque conscientia Reuerendiss. Generalis, & aliorum Prælatorum, ne dictis fratribus ita ambientibus quod procurauerint, concedat, vt inhabilibus, & indignis ab ipsa constitutione declaratis, quos prædictas pœnas subire absque misericordia, & dispensatione Magistri Generalis expresse voluit constitutio.

Item ordinamus, & mandamus, vt in omnibus conuentibus quatuordecim fratrum numerum excedentibus matutinæ irremissibiliter media nocte recitentur statutis temporibus, sub pœna priuationis officij Prælato imponenda, si aliter fit: similiter præcipimus prædictos Prælatos in refectorio communem refectionem sumere, eodem, quo cæteri pane vescentes, & vinum idem bibentes, sub pœna suspensionis ab officio per quatuor menses: oneramusque conscientiam Patrum Prouincialium, vt id ipsum exequi curent,

Rursus

Rursus ordinamus, & mandamus, vt in nullo euentu concedatur portio conuentus alicui ex fratribus in pecunia numerata, sed in propria specie, & vt eo ipso, quod ab aliquo cuiuscunque qualitatis in pecunia petatur â Commẽdatore in nulla specie detur, sed potius conuentui applicetur, & si aliter faciat, Pater Prouincialis id in computis non accipiat.

Item ordinamus, & mandamus, quod nullus frater iuuenis ad ordinem sacrum ascendat, nisi post triennium à professione expletum, vt in actibus humilitatis exerciti perfectius ministrent. Rursusque vt nullus nouus Sacerdos primam celebret Missam, nisi præmisso ceremoniarum, & cantus rigoroso examine à Vicario conuentus, & Magistro nouitiorum faciendo, ab eisque approbatione obtenta; & commendamus Patribus Prouincialibus, vt contra hoc decretum licentias non præstent.

Rursus ordinamus, & mandamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, vt nullus Commendator licentiã præstet fratri cuicunque, vt ex conuentu ad ciuitatem, vel locũ exeat, vel propria licentia, vel vt socius alterius, vltra tres vices in hebdomada: & his tribus vicibus, si ita videbitur Prælato, sine vlla omissione socios ætatis diuersæ designare teneatur; & sub eodem præcepto mandamus subdito, ne contra hoc decretum è domo exeat, & similiter præcipimus, quod diebus festis, non possint egredi fratres è conuentibus, nisi post meridiem; & tunc ita vt in conuentibus numerum viginti fratrum excedentibus non egrediantur prædictis diebus festis post meridiem plures quam quatuor fratres: & in conuentibus quinquaginta fratrum sex religiosi: & in domibus quinquaginta fratrum numerum superantibus decem fratres exeant: & nulla ratione Prælatus plures licentias concedat, sub pœna priuationis officij, sed excipiuntur in toto hoc decreto, Patres Magistri, & conuentuum necessitates.

Item ordinamus, & mandamus, vt deinceps in nominationibus Commendatorum alternatiua seruetur, ita vt nullus in Cõmendatorem eligatur in Capitulo Prouinciali, vel extra illud, qui toto anno præcedenti commenda non caruerit, sed tamen poterit Reuerendiss. Pater noster Magister Generalis dispensare, ita vt sufficiat non fuisse Cõmendatorem quatuor mensibus

cantum ante Capitulum, vel alia [illegible] electionem in Commendatorem extra illud.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt infallibiliter obseruetur constitutio disponens, ne vtamur lineis ad carnes, & illi cui, propter aduersam valetudinem illis vti de licentia Prælatorum necessum sit, teneatur tunicæ partem summã ad collum, & manicas laneam gestare, ob ędificationem sæcularium, cui semper debemus consulere. Qui vero aliter fecerint per tres dies ieiunent in pane, & aqua, idque Patres Cõmendatores sine omissione exequantur. Similiter præcipimus, vt vestes omnes, tam exteriores, quam interiores omnino sint viles, & omni curiositate carentes, quodque obseruetur constitutio in capite de rasura, quam etiam moderationẽ præcipimus in itineribus obseruari, quodq; in illis, vbi cõmode possint, fratres quotidie celebrent super quibus oneratur conscientia Patrũ Prouincialium, qui in visitationibus suis de obseruatione totius huius decreti diligentissime inquirant, & speciatim vestes interiores visitabunt.

Item ordinamus, & mãdamus, vt fratres quadragesimarum Prædicatores nulla ratione totam earum eleemosinam sibi assumant, sed potius, qui ex illis fuerint Magistri mediã prædictę eleemosinæ partem conuentui tradere teneantur: reliqui vero de tribus partibus duas, eo quod illis vestuarium à Commendatoribus præstandum est. Præcipimusque Patribus Commendatoribus, vt quadragesimas â fratribus sui conuentus prædicandas solicitent.

Rursus, vt Lectores vtiliores, & digniores eligantur: Ordinamus, & præcipimus, quod deinceps infallibiliter lecturæ, tam Artium, quam sacræ Theologiæ per oppositionem (vt fieri solebat) prouideantur, eó modo, quo Reuerendiss. Pater noster Magister Generalis, & vniuscuiusq; Prouinciæ Prouincialis disposuerint, & ex vi præsentis decreti reuocantur omnes patentes literæ lecturarum, quæ tẽpore, & die, quo datæ sunt, vacantes non erant, & onerantur conscientiæ Patrum Prouincialium, vt in visitationibus lecturis ipsofacto priuent lectores minus idoneos, vel qui desidia torpuerint, grauissima damna, & detrimenta religioni ex in sufficientibus Lectoribus consecuta attendentes.

Item ordinamus,& mandamus conſiderantes,quantum fidelis,& recta bonorum temporalium adminiſtratio ordinem noſtrum interſit, vt libri receptorum, & ſumptuum cuiuſcunque conuentus viſitari queant à quocunque tẽpore antea tranſacto vſque ad prædictam viſitationem, etiam ſi computa approbata ſint per quoſcũque Prælatos, qui prædictos libros viſitauerint: & quod Commendatores præcedentes teneantur reddere rationem eorum, & prædictis computis, & eorum erroribus in quacunque viſitatione deprehenſis ſatisfacere,ſuper quæ onerantur conſcientiæ Patrum Prouincialium.

Rurſus ordinamus,& mandamus, quod ſæpe ſæpius,& iteratis vicibus præceptum eſt, videlicet, quod in cathedra lectionibus, & concionibus ad populum obſeruetur, & doceatur doctrina Angelici Doctoris D.Thomæ (excepta ſententia immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis) in forma,& modo hucuſque obſeruatis, & commiſsio ſpecialiter vltra poteſtatem officij ſui Patribus Prouincialibus cõceditur ad puniendum ad proprium arbitrium contrarium docentes,ſeu facientes. 35

Item ordinamus,& mãdamus,vt Patres Prouinciales ſecum afferant ad Capitula Generalia venientes relationes veriſsimas, authẽticas, & fidedignas rerum memorabiliũ Ordinis noſtri,ſcilicet fundationum monaſteriorum, vitæ, & mortis,ſanctitate,& miraculis clariſsimorum fratrum,& ſororum, & aliorum id generis euẽtuum,vt inde fideliter proſequatur Ordinis chronicũ,ad quod ſpeciales fratres chroniſtæ,& hiſtoriographi in vnaque Prouincia deſignentur, ſicut in Præſenti Capitulo deſignantur:pro Prouincia Aragoniæ Pater Magiſter frater Ioannes de Antillon,pro Prouincia Caſtellæ Pater Præſentatus fr.Ildephonſus Ramon,pro Prouincia Valentiæ Pater Præſentatus fr.Franciſcus Gõçalez,pro Prouincia Vandaliæ Pater Magiſter fr.Ferdinandus de Luxan,pro noſtra Prouincia Italiæ Pater Magiſter fr.Bernardus de Vargas chroniſta,ſeu hiſtoriographus generalis ſacri noſtri Ordinis.In cæteris vero Prouincijs Galliæ,& Indiarum hiſtorici erunt, quos Reuerendiſs. Pater Generalis,& Prouincialis deſignauerint,viri doctrina,& pietate clari,quos Capitula Prouincialia (prout laborauerint) præmio,& honore afficere curabunt.

Rurſus ordinamus,& mandamus,vt nullus frater iterū in Prælatum eligi poſsit,qui conuentū,quem rexerit antea,æri alieno obſtrictum reliquerit,& grauantur conſcientiæ Patrum Prouincialium,& auctoritate huius Diffinitorij illis præcipitur,vt Prælatum,ſeu Commendatorem, quem in ſuis viſitationibus inuenerint conuentum oppignoratum,& æri alieno obſtrictum habere,niſi debita ex ædifficijs reſultauerint, omnino officio, & commenda priuent, & alterum fratrem in Commendatorem prouideant, vt monaſteriorum bona rectius adminiſtrentur: quodque deinceps debita conuentuum, quorum memoria ad Capitula Prouincialia afferuntur,diſtinctè referantur expreſſa cauſa,ex qua proceſſerunt,& perſonis,quibus debentur minutim expoſitis.

Item ordinamus,& mandamus in virtute Spiritus ſancti, & ſanctæ obedientiæ,ſub pœna excommunicationis maioris latę ſententiæ,& priuationis officij,quod nullus Commendatorum Ordinis noſtri pecuniam in quacunque quantitate, vel rem aliam ex depoſitis fratrum in mutuum petat, & ſi hucuſque petierit,ſub eiſdem præcepto,& pœnis,vt reſtituatur ſtatim præcipimus,& ſub eadem pœna priuationis officij præcipimus Cōmendatoribus,vel Præſidentibus,ne eleemoſinas Miſſarum inſumant,niſi earū,quæ iam ſunt dictæ,vti conſtitutiones noſtrę, & Pontificia decreta diſponunt,& hucuſque in Ordine noſtro fieri conſueuit, & grauantur conſcientiæ Patrum Prouincialium,vt eas pœnas infallibiliter in his,qui contra fecerint,exequantur.

Rurſus ordinamus, & mandamus, vt in toto Ordine noſtro ferijs quintis officio duplici,aut ſemiduplici non impeditis, ſanctiſsimæ Euchariſtiæ,& ſabbatis ſimiliter non impeditis officiū immaculatæ Conceptionis Deiparæ recitetur, exceptis aduentu,& quadrageſima,& ſimiliter,quia in pluribus ordinis monaſterijs altaria ſancto Patri noſtro Petro Nolaſco erecta ſunt, in cuius die feſto iubileum lucramur ex indulto ſummi Pontificis: Mandamus,vt in conuentibus,in quibus prędictū altare erectū non fuerit,quam primum commode poſsit,erigatur.

Item ordinamus,& mandamus iuxta noſtrarum conſtitutionum tenorem,diſtin. 1.cap.5.vt quotidie fratres noſtri per horam

ram

ram mentaliter orent, scilicet dimidia horæ parte ad completorium,& altera dimidia ad matutinum,aut nonam respectiue, ad quam orationem mentalem omnes fratres cuiuscunque status,& conditionis fuerint,accedant nullo dempto. Prælatoque præcipimus sub pœna priuationis officij,vt nulla ratione dispẽset,poterit tamen prædictum tempus horæ, & eiusdem mediarum partium pro temporis qualitate & alijs occurrentibus circunstantijs temperare, & aliquantulum minuere, in quo eius grauamus conscientiam.

Rursus ordinamus,& mandamus in virtute sanctæ obedientiæ,quod nulla ratione,vel causa fratres comedias etiam in festiuitatibus Pascharum peragant, & Prælato, sub eodem præcepto,& priuatione officij imponimus, vt id nulla ratione permittat,vel dissimulet,nec licentiam præstet. Confirmamusque ordinationem iam diu factam prohibentem ludos omnes pecuniarum,præcipue cartarum lusoriarum, vel taxillorum, vel inter fratres,vel cum sęcularibus,etiam si sint in prædictis festiuitatibus,cum pœnis,& priuationibus in eadem ordinatione statutis. Et quia sæpius iustissimê cautum est,præcipimus quoque, vt nullus frater Ordinis nostri,cuiuscunque status, & conditionis extiterit, ad theatra comediarum ad eas audiendas accedat,Prælatisque iubemus sub pœna priuationis officij, vt id nulla ratione permittant,atque quomodo id obseruetur, inuigilent.

Item,ad tollendas difficultates in ordine sedendi occurrentes,& dissensiones excusandas ordinamus, & mandamus iuxta morem antiquum religionis,vt inter Patres graduatos, Magistros scilicet,& Præsentatos, respectiue obseruetur antiquitas gradus,& non professionis,nisi in casu, quo simul gradus obtinuerint,ita vt Magistri,& Præsentati de numero semper præcedant reliquos,qui de numero non fuerint,quacunque via, & ratione gradum obtinuerint,& Præsentati, quos vocant de lectura,semper præcedant eos,qui prædicationis vocantur, etsi hi posteriores prius gradum,quam reliqui,vel ex illis aliqui cõsequuti fuerint.Similiter,quod Diffinitores generales, & Prouinciales,& Electores generales,si Magistri extiterint, præcedant reliquos Magistros,etiam de numero,si Magistri vero nõ

fuerint

fuerint, præcedant omnes Præsentatos, etiam si Diffinitores, vel Electores Præsentati non sint, & inter se Diffinitores prædicti, & Electores obseruent antiquitatem propriam, dummodo Diffinitores generales Electoribus semper præferantur: hoc vero intelligatur extra Capitulum Prouinciale, in eo enim præcedant Diffinitores Prouinciales omnes vocales cuiuscunq; qualitatis sint. Similiter omnes prædicti Diffinitores, & Electores præcedant Vicarios conuentuum, quos Magistri semper præcedunt, siue sint præsentes Commendatores, siue ipsis absentibus, prædicti Vicarij sint præsidentes, & in loco; & exemptionibus eorum, qui in illa Prouincia, vbi adsunt personaliter, fuerunt Prouinciales non innouatur, & Magistrorum nomine in toto hoc Capitulo etiam Magistri expositi, & confimati, etiam si intra numerum non sint, intelliguntur, vt supra dictum est.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt qui Prouinciales in alijs Prouincijs extiterint si ad eas, quarum filij sunt, remeauerint, siue sint Magistri, siue non, sedeant immediati ad Magistros de numero supra omnes supranumerarios (si qui fuerint) & Magistros expositos, & Presentatos, nullumque alium locū habeant, cum hoc iuxta constitutiones nostras sit declaratum.

Item ordinamus, & mandamus, vt per loca, & ciuitates supra mulas nulli ex fratribus nostris equitando deambulent, exceptis Patribus Prouincialibus, quibus ex officio cōpetit, & Procuratoribus generalibus Romano, & Matritensi. Similiter præcipimus, quod nullius fratris famulus intra conuentū pernoctet, neque id Prælatus permittat, sub pœna priuationis officij.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt nullum negotium ad bona temporalia conuentuum pertinens, quod Patribus in Capitulo proponi necessarium sit, eodem die resoluatur, quo proponitur, sed quod hac die propositio fiat, & in alteram resolutio differatur: præcipimusque Patribus Commendatoribus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis officiorum, ne aduersus hoc decretum quidquam agant, idque obseruetur quotiescunque re graui, cuiuscunque materiæ illa sit, proposita conuentui, aliquis ex fratribus affirmet se ad illius resolutionem consultatione, & studio indigere.

Item attendentes authoritatem Reuerendiss. Magistri Generalis

neralis, decentiamque illi debitam, vtque sumptus, quantum fieri possint, excusentur. Ordinamus, & mandamus, vt Magister Generalis, qui officium suum, quacunque causa terminauerit, ordini, & successori relinquere teneatur tres mulas easdem ipsas, quibus ille vtebatur ad seruitium Reuerendissimi successoris, & sociorum eius; necnon mulum oneri deseruientem ad libros Magisterij (vt mos est) portandos, quin necessum sit in ipso initio muneris sui animalia iterum emere, Magistro vero Generali, qui prædicta quatuor animalia non reliquerit nullo modo in computis, quæ reddere debet, admittatur tantum pecuniæ, quanti constiterint, quæ denuo emenda sunt.

Rursus ordinamus, & mandamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, vniuersis Patribus Commendatoribus, & Præsidentibus conuentuum, vt cum primum horum actorum, & decretorum copiam typis excusam receperint, eam publice in refectorio, vel capitulo legere faciant, deincepsque sexies in anno id ipsum præstent eosdem in domino quantum possumus hortantes, vt eadem â suis subditis obseruari procurent.

## *QVOD PRO INDIARVM PROuincijs obseruari præcipitur.*

PRimum hoc sanctum Diffinitorium remittit Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali, vt in ea, quæ sibi videbuntur pro Prouincijs Indiarum conuenientiora, decernat, quæ vniuersum Diffinitoriũ ab omnibus semper obseruari vult, ac si ab eodem simul ederentur: similiter eidem Reuerendiss. committit, vt gradus Magistrorum, & Præsentatorum eo, quo possit, rigore examinet, eo quod plures in dictis Prouincijs introducti sunt, quos reformari, & reduci oporteat, designetque legitimos deinceps valituros, necnon vt obseruari præcipiat ordinem iudicialem per Reuerendiss. dominum D. fratrem Franciscum de Ribera Episcopum Guadalphaxarensem olim Magistrum Generalem, secundum formam iuris editum, eo quod in prædictis Prouincijs vtiliter hucusque

obseruatus est, visisque decretis, & statutis â prædicto domino Episcopo editis, auditisque fratribus grauioribus, & peritis, qui ex eisdem Prouincijs ad nos remigrarunt quidquid Reuerendiss. Pater noster Magister Generalis decreuerit, maioris roboris, & firmitatis causa à sede Apostolica confirmetur.

Rursus actum est an conueniens esset Patrem Magistrum fratrem Barnabam de Zarate Prouincialem Prouinciæ de Tucuman ab officio deponi propter grauissimas causas in ipso Diffinitorio declaratas, & remissum est id negotij Reuerẽdiss Magistro Generali, necnon vt de remedio, quam citius possit, prædictæ Prouinciæ in plurimis prouideat.

Item in eodem Diffinitorio actum est quantum religioni deseruierit Pater Magister frater Ildephonsus de Castro Commendator de Panamâ, & post gratias illi actas, commissum est eidem Patri Magistro conformiter ad Capitulũ generale proxime præteritũ, vt quanta possit diligẽtia, prosequatur litem, quæ adhuc sub iudice est circa legitimam Patris fratris Roderici de Oxeda ab ipso Burgensi conuentui Prouinciæ Castellæ donatam.

## *MAGISTRI, ET PRAESENTATI in hoc Capitulo generali admissi.*

Admissus est in hoc Capitulo in Magistrum de numero Prouinciæ Vandaliæ Pater Magister fr. Didacus de Abarca, eo quod præstiterit quidquid per sacras constitutiones, & reformationis decreta necessarium est. Declaratque sanctum Diffinitorium ad ipsum pertinere prædictum Magisterium, quod videbatur vacare ob mortem Patris Magistri fratris Emanuelis de Muniera, defenditque, & manutenet prædictum Magistrum Abarca in ea possessione loci, & antiquitatis, in qua cum reliquis prædictis Magistris illius Prouinciæ, hucusque fuit, & erat, & ad petitiones Patrum Magistrorum fratris Ioannis Perez de Roxas, & fratris Marci de Quiros prædictum Magisterium postulantium, responsum est nullum Magisterij gradum de præsenti vacare.

Item

Item admissus est in Magistrum supra numerarium Prouinciæ Castellæ Pater Præsentatus fr. Ioannes de Quintanilla, eo quod Procurator generalis Romanus extiterit, & propter alias causas superius expositas.

Item confirmat sanctum Diffinitorium in Præsentatum de numero Prouinciæ Castellæ in Præsentatura Patris Magistri fratris Ioannis de Quintanilla Patrem Præsentatum fr. Alphōsum Vazquez, eo quod quidquid iuxta constitutiones, & decreta reformationis necessum est præstiterit, & approbat confirmationem in prædicta Præsentatura â domino Episcopo del Alguer tunc Ordinis Magistro Ganerali illi concessam.

## *PETITIONES PROVINTIAE Aragoniæ.*

PEtitioni Patris Præsentati fratris Petri de Borobia petentis confirmationem in Magisterij gradu, eo quod legerit quidquid est necessarium. Respondetur eundem confirmari, vt posit secundum antiquitatem suam prædictum gradum obtinere.

Petitioni Patris fratris Michaelis Mates postulātis, eo quod per biennium legerit, & per vndecim annos prædicauerit, sibi admitti quinque lecturæ annos ad præsentaturam obtinēdam. Respōdetur admitti ab hoc sancto Diffinitorio quatuor annos, quodque adimpletis cæteris prædicationis annis iuxta ea, quæ in hoc Capitulo ordinantur, confirmabitur.

Petitioni Patris fratris Martini de Calatayud Procuratoris generalis Nauarræ postulantis exemptiones, & votum in Capitulo. Respondetur, quod remittitur ad acta huius Capituli.

Petitionibus Patrum fratrum Gaudiosi Pollo, & fratris Pauli de Gauada, & fratris Ambrosij Billerias, & Patris Asini, petentium præsentaturas prædicationis. Respondetur, quod remittuntur ad suum Capitulum Prouinciale.

Plures aliæ petitiones lectæ sunt circa ea, de quibus decreta, & acta facta sunt in hoc Capitulo, & res alias, quibus responsum est audiri ab hoc sancto Diffinitorio.

# PETITIONES PROVINCIAE Castellæ.

PEtitionibus Patrum Præsentatorum fratrū Bernardi Matienço, fr. Hieronymi de Valderas, fr. Gabrielis Lopez, fr. Petri Nolasci, fr. Thomæ de Aguiar, fr. Ferdinardi de Leon, fr. Ildephonsi de Herrera, fr. Ioannis Cantero, fr. Ioannis Araez, fr. Roderici de Cieça, fr. Augustini de Miranda, & fr. Didaci de Quiñones, postulantium, vt confirmentur expositiones, cursusq; admissi in Capitulis Prouincialibus prædictæ Prouinciæ. Respondetur, confirmari quod à prædictis Capitulis cum eisdem factum est respectiue.

Petioni Patris Præsentati fratris Ildephonsi Ramon, petentis, attentis suis laboribus, librisque typis excusis præcipue chronico Religionis Præsentaturam prædicationis sibi dari, ad quam sæpius expositus est. Respondetur, quod secundā partem prædicti chronici ea diligentia, qua de ipso speratur, prosequatur, & ea cum satisfactione Reuerendiss. Patris Generalis, & Patris Prouincialis scripta, & composita, ex nunc supplicatur suæ sanctitati, vt Magisterij gradum illi cōcedat, & à prædicta approbatione exemptionibus prædicti Magisterij potiatur, & gaudeat.

Petioni Patris Magistri fratris Ludouici de Aparicio, Procuratoris generalis Romani, petentis confirmationem expositionis de illo factæ in Capitulo Prouinciali Guadalphaxaræ habito in Magistrū huius Prouinciæ, eo quod necessaria præstiterit. Respondetur, confirmari quod in prædicto Capitulo actum est.

Petitioni Patris Magistri fratris Matthæi de Villarroel, postulantis translationem Magisterij, quo potitur in Prouincia del Cuzco, ad hanc Prouinciam Castellæ, eo quod in hac iam olim, & in dicta Prouincia del Cuzco legerit cum facultate Reuerendiss. Generalis ad hoc, vt ad gradus obtinēdos in hac Prouincia Castellæ sibi deseruiret. Respondetur, quod ex nunc admittitur in Magistrum supra numerarium dictæ Prouinciæ Castellæ, illique conceditur, vt sedeat immediate post Magistro

de numero supra omnes, qui de numero nõ sunt, ea lege, vt gradum prædictum sedes Apostolica cõfirmet, ad quod hoc sanctũ Diffinitoriũ cũ ipso dispensat; tum ob prædictos annos lecturę, tum ob beneficia ab ipso in dictam Prouinciam collata, cẽsibus aliquot ex suo deposito nomine aliquorum conuentuum, qui post illius mortem illis potientur de licentia Prælatorum fundatis; & ad id, quod petit circa exemptiones Prouincialis, eo quod per biennium Vicarius Prouincialis prædictæ Prouinciæ del Cuzco extiterit. Respondetur, quod illis exemptionibus in prædicta Prouincia del Cuzco fruatur, si in ipsa tempore prædicto Vicarius Prouincialis in Capite extitit.

Petitioni Patris Magistri fratris Ioannis Gomez petentis, quod sanctum Diffinitorium ipsum Magistrum Prouinciæ Castellæ declaret, eo quod Magister sit in Prouincia sancti Dominici, in qua legit, & initia studiorum posuit ex ordinis mandato. Respondetur, quod remittitur Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali: idemque respondetur petitioni, in qua postulat computa ab ipso accipi officij, quod gessit Vicarij generalis nouæ Hispaniæ.

Petitioni Patris Magistri fratris Didaci de Velasco aientis, quod cum ipse filius esset huius Prouinciæ Castellæ ad Prouinciam del Cuzco migrauit, in qua Prouincialis extitit, & quam plurima alia munera obiuit religioni deseruiens in plurimis peragrationibus, tam ad Indos, quam Romam deueniens, quorum causa sanctissimus dominus noster Vrbanus octauus breue translationis Magisterij prædictæ Prouinciæ, cum cæteris qualitatibus, quibus in illa fruebatur, ad hanc Prouinciam Castellæ concessit, quibus de causis petebat à Reuerendiss. Patre nostro Magistro Generali, & sancto Diffinitorio, vt prædictum breue admitterent. Respondetur, quod remittitur Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali, cui sanctum Diffinitorium supplicat, vt omnem gratiam, & honorem prædicto Patri Magistro largiatur, eam ex nunc libentissime acceptans.

Petitioni Patris Præsentati fratris Didaci de Mendoça, postulantis confirmari scripturã à conuentu Vallisoletano sibi factam centum ducatorũ sibi quotannis soluendorũ ex pecunia,

quam mittit Pater Magister frater Franciscus Ortega ex Indijs. Respondetur, prædictam scripturam confirmari, vti in ea continetur.

Petitioni Patris Præsentati fratris Gregorij de Valentia petentis, sibi aliquid amplius vltra triacentum regalium dari â conuentu Burgensi ex bonis ex hereditate ipsius adquisitis ob graues, quas patitur necessitates, & temporum caritatem. Respondetur, quod remittitur Patri Prouinciali Castellæ, vt illi eo modo, quo possit, subueniat.

Petitioni conuentus Vallisoletani petentis, confirmari adiudicationem sibi factam in Capitulo generali præterito domorum, quas Pater Magister fr. Franciscus de Ortega nomine dicti conuentus possidet in Portovelo. Respondetur, quod confirmatur prædicta domorum adiudicatio, vt in dicto Capitulo facta fuit.

Petitionibus Patrum fr. Ioannis Ruiz, in qua ait se docuisse per quatuor cursus Artes, & sacram Theologiam, & fr. Bernardini Campuçano aientis se legisse per quinquennium sacram Theologiam, & postulantium admitti. Respondetur, prædictos cursus pro legitimis admitti, & quod remittuntur suo Capitulo Prouinciali.

Petitioni Patris Præsentati fratris Francisci Ocariz postulantis confirmari expositionem â Capitulo Prouinciali factam, cursusque admissos. Respondetur, confirmari quod in Capitulo prædicto Prouinciali actum est.

Petitioni fratris Gasparis de Bedoia petētis admitti breue quoddam suæ sanctitatis præsentaturam prædicationis illi concedentis. Respondetur, quod remittitur Patri nostro Reuerendiss. Generali, dummodo Patribus hos gradus prædicationis nunc possidentibus, necnon ad eos expositis nulla ratione inferatur præiuditium.

Petitioni Patris fratris Didaci de sancta Gadea petentis, sibi suppleri duos cursus, qui illi desunt, vt quod requiritur ad gradum Præsentaturæ obtinendum legendo præstet, eo quod per continuas quadragesimas prędicauerit ex mandato religionis, & in illius vtilitatem. Respōdetur, quod commutatur prædictũ tempus, per quod prædicationi vacauit in prædictos duos cursus,

sus, declaratque sanctum Diffinitorium ipsum quidquid necessarium est ad prædictum gradum Præsentaturæ de numero in dicta Prouincia Castellæ obtinendum, præstitisse.

Petitioni Patris Magistri fratris Petri Merino in Salmanticensi Academia antecessoris, petentis varijs ex causis, atque ob plurimos in literis labores gradum Magisterij de numero sibi concedi. Respondetur, religionem prædicto Patri Magistro plurimum deferre, gradumque prædictum secundum antiquitatem suam illi concedendum esse.

Petitioni Patris fratris Melchioris de Canales petentis, confirmari assignationem à Patre Prouinciali Castellæ in Prædicatorem conuentus Toletani illi concessam. Respondetur, confirmari, dummodo, quod in hoc Capitulo decretum est circa Prædicatores conuentuales, exequatur.

Petitioni collegij Complutensis petentis, possessionẽ sibi concedi domorum, quas illi cessit Pater Magister frater Barnabas de Zarate in Indijs degens. Respondetur, quod remittitur Reuerendiss Patri nostro Magistro Generali, cuius determinatio sit sententia diffinitiua.

Petitioni Patris Præsentati fratris Ioannis de Villafranca petentis, confirmationẽ expositionis factæ à Capitulo Prouinciali Castellæ ad præsentaturam prædicationis. Respondetur, quod hoc sanctum Difinitorium cõfirmat expositiones factas ad prædictas prædicationis præsentaturas Patrum fratris Ioãnis de Villafranca, fr. Hieronymi de Lara, fr. Ioannis de Pinedo, & fr. Placidi de Aguilar, declarans ipsos prædictas præsentaturas ante alios obtinere debere, sed vsque dum obtineant, non concedantur illis exemptiones, si alijs titulis illis non debentur.

Petitioni Magistri fratris Didaci de Santander dicentis, quod cum ipse in Conuentu Toletano Theologiam doceret, ex ordinis præcepto in Italiam proficisci iussus est, cum facultate ad eandem Theologiam docendam, ita vt ad huius Prouinciæ gradus obtinendos illi deseruiret, cursibusq; per actis, Magister de numero illius Prouinciæ extitit, & Pontifex maximus illi breue translationis prædicti Magisterij ad hanc Prouinciã concessit, in qua nõ est Magister ex gratia, sed ex iustitia, atq; adeò

àdeò his de caufis petebat admitti prædictum Magifterium, vt iamjadmiffum erat. Refpondetur, quod remittitur Reuerendifs. Patri noftro Magiftro Generali.

Petitioni Patris Præfentati fratris Ildephonfi Vazquez dicentis, quod cum ipfe in Complutenfi collegio, & vniuerfitate Theologiã doceret, in qua Theologiæ Cathedris oppofitiones fecit, officium Secretarij huius Prouinciæ exercere iuffus eft, atque adeo à lectura ceffare, qua de caufa petebat, vt attentis prædicto minifterio, cui deferuiebat, prædicationibus fimul incumbens, librisque à fe compofitis typis mandatis, & mandandis, & alijs caufis fibi suppleretur, quod illi ad Magifterij gradũ obtinendum de eft. Refpondetur, quod fanctum Diffinitorium illi committit, vt priuilegia Ordinis, tam Pontificia, quam Regia, in ordinem redigat, & declaret, prædictoque libro cum fatisfactione Reuerendifs. Generalis, & Patris Prouincialis Caftellæ compofito, declarat fanctum Diffinitorium quidquid illi de eft ad Magifterij gradum obtinendum compleuiffe, & concedit, vt â dicta approbatione, Magiftri nomine, & exemptionibus potiatur.

Petitioni Patris Magiftri fratris Chriftophori Ruiz petentis confirmari in Magifterio de numero, quod nunc poffidet Reuerendifs. dominus Epifcopus de Paraguay, eo quod antiquior ceteris omnibus Magiftris expofitus fit. Refpondetur, quod fanctum Diffinitorium illi concedit prædictum Magifterium poft illius vacationem, & in illo ex nunc confirmat.

Petitioni Patris Præfentati fratris Hieronymi Ciruelo petentis, vt declaretur, quidquid neceffarium eft ad Magifterium fe præftitiffe. Refpondetur, quod remittitur ad fuum Capitulũ Prouinciale.

Petitioni Patris Præfentati fratris Ferdinandi de Horio petentis, eo quod legerit per tredecim annos facram Theologiam, vt ab hoc fancto Diffinitorio ad gradum Magifterij confirmetur. Refpondetur, quod vt legitimi prædicti tredecim curfus approbantur, & confirmantur, vt prædictum gradum affequatur, cæteris â conftitutionibus poftulatis adimpletis.

Petitioni Patris Præfentati fratris Marci Salmeron aientis, quod poftquã feptem annis Artes, & facram Theologiam docuiffet,

tuiſſet, religionis iuſſu per plures continuas quadrageſimas prædicauit in magnum religionis commodum, qua propter petit ſibi commutari prædictum tempus prędicationis in id, quod ſibi deeſt ad gradum Magiſterij obtinendum: reſpondetur, quod quia per prædictas quadrageſimas cum magna populi vtilitate, & ſequela, religionisque honore verbum Dei diſſeminauerit, admittũtur illi duo anni lecturæ, vltra ſeptem prædictos, quodque, ſi deinceps, vel legerit, vel vt hucuſque prędicauerit, quæcunque â religione poterit, gratia fiet illi.

Plures aliæ petitiones lectæ ſunt circa ea, de quibus decreta, & acta facta ſunt in hoc capitulo, & res alias, quibus reſponſum eſt audiri ab hoc ſanto Diffinitorio.

## *PETITIONES PROVINCIAE Valentiæ.*

PEtitioni Patris fr. Ioannis Marco petentis confirmari aſsignationem illi conceſſam Procuratoris generalis Valentiæ: reſpondetur confirmari cum qualitatibus in actis de Procuratoribus generalibus in hoc Capitulo expreſsis.

Petitioni conuentus del Puche facultatem petentis, vt poſſit fundum quendam vocatum de Ramon ad annuum cenſum tribuere: reſpondetur, quod remittitur Patri Prouinciali Valentiæ.

Petitioni eiuſdem conuentus petentis ſibi debere aſsignari locum in proceſsionibus Valentiæ, in quibus cum conuentu illius ciuitatis concurrit: reſpondetur, quod remittitur Reuerendiſs. Patri noſtro Magiſtro generali.

Petitioni Patris Præſentati fr. Franciſci Gonçalez petentis, admitti ad Magiſterij gradum ex tribus nunc vacantibus in dicta Prouincia ob multum temporis in prædicationibus in ſumpti, & alias cauſas: reſpondetur, quod remittitur Reuerendiſs. Patri noſtro Magiſtro Generali.

Petitioni Patris fratris Thomæ Satoca petentis Præſentaturam prædicationis nunc vacãtem ob mortem Patris fr. Matthæi

thæi de Cambres: respondetur, quod remittitur suo Capitulo Prouinciali.

Plures aliæ similiter petitiones lectę sunt diuersarum rerum, quibus responsum est audiri ab hoc sancto Diffinitorio.

## PETITIONES PROVINCIAE Vandaliæ.

Petitionibus Patrum fratris Augustini de Canales, fratris Lucæ de Quiros, fr. Ferdinandi Muñoz de Baena, fr. Antonij del Castillo, fr. Francisci Ponce, fr. Ioannis de Castilla, fr. Ludouici Mendez de Sotomaior, fr. Francisci de Herrera, fr. Christophori del Carpio, fr. Antonij de Velasco, fr. Antonij de Haumada, fr. Thomæ de Zafra, fr. Francisci de Maçagan, petentium confirmari ad futurũ gradum Præsentati vacantem: respondetur confirmari expositiones, quæ de illis factæ sunt à Capitulis Prouincialibus Prouinciæ Vandaliæ.

Petitionibus Patrũ fratrum Præsentatorum fratris Petri de Artache, & fratris Ildephonsi de Gongora petentium confirmari in gradu Magisterij: respondetur confirmari quidquid cum illis à Capitulo Prouinciali factum est.

Petitioni Patris fratris Thomæ de Alarcõ petentis cõfirmari in officio Procuratoris generalis Hispalensis: respondetur confirmari in prædicto officio cum qualitatibus in decretis huius Capituli circa Procuratores generales expressis.

Petitioni Patris Prædicatoris fr. Roderici de Castilla petentis confirmari in Præsentatura prædicationis: respondetur, confirmari quod factum est in suo Capitulo Prouinciali.

Petitioni Patris Præsentati fratris Antonij de Leõ petentis præsentaturam, quæ primo loco vacauerit, sibi concedi, eo quod Philosophiam, & Theologiam per vndecim annos docuerit, & alia: respondetur, quod obtineat præsentaturam primo vacaturam, & quoad cætera, quod auditur.

Petitioni Patris Præsentati fratris Ioannis de Contreras id ipsum propter eandem rationem petentis. Respondetur, quod obti-

obtineat præsentaturam secundo vacaturam, & quoad cætera, quod auditur.

Petitioni Patris Magistri fr. Ferdinandi de Paredes petentis locum antiquiorem Patribus Magistris de numero huius Prouinciæ, quia in alia Prouincialis olim extiterit: respondetur, quod remittitur actis huius Capituli de hoc, quod iustum est, statuentibus.

Petitioni Patris Magistri fratris Ildephonsi de Molina dicentis se esse Magistrum de numero Prouinciæ Italiæ, in qua Vicarius Prouincialis Procurator, & Vicarius generalis, & denique Prouincialis in Capite extitit, in qua Prouincia plurimũ ordini deseruire curauit, & deseruiuit, quibus de causis petebat in Magistrum dictæ Prouinciæ Bethicæ incorporari, & pleniorem gratiam à sancto Diffinitorio sibi fieri: respondetur, quod remittitur Reuerendiss. Patri nostro Magistro Generali.

Petitioni Patris Magistri fratris Ioannis de Herrera Prouincialis Prouinciæ Bethicæ, in qua ait prædictã Prouinciam præcedere debere Prouinciam Galliæ, esseque, & debere censeri hac antiquiorem varijs de causis, & rationibus per ipsum allegatis: respondetur hanc causam cõclusam videri in Capitulo Generali Murtiæ celebrato anno millesimo sexcentesimo decimo secundo, nihilominus tamen iurisperiti consulantur, an in iudicio iterum possit audiri prædicta Bethicæ Prouincia.

Plures aliæ petitiones lectæ sunt diuersarum rerum, quibus responsum est audiri ab hoc sancto Diffinitorio.

## PETITIONES ITALIAE.

Petitioni Patris Soler petentis confirmationem expositionis eiusdem Capituli Prouincialis Italiæ ad gradũ Præsentaturæ: respondetur confirmari pro illa Prouincia tantum.

Petitioni Patris fr. Aluari de Azeuedo petentis confirmationem in gradum Præsentaturæ pro Prouincia Italiæ, in qua expositus est: respondetur confirmari pro illa Prouincia, dummodo in illa permaneat.

Petitioni Patris Præsentati fratris Petri de Canales pentent tis confirmationem Magisterij, ad quod expositus est in illa Prouincia: respondetur confirmari pro illa Prouincia, dummodo in illa permaneat.

## *PETITIONES EX PROVINCIIS indiarum.*

PEtitioni Patris Præsentati fratris Ildephonsi de Robles petentis, vt reualidetur, seu roboretur, & approbetur confirmatio Præsentaturæ Prouinciæ de Lima à Reuerendiss. domino Episcopo del Alguer tunc Magistro Generali totius Ordinis illi concessa, quæ hucusque nō est executioni mandata: respondetur, quod prædicta confirmatio roboratur, & approbatur, & si necessum est, de nouo conceditur; declarante sancto Diffinitorio, quod prædicta præsentatura illi competit â tempore, quo similes gradus obtinuerunt expositi in Capitulo electionis Patris fratris Ioannis de Vallejo, quin ab illis, qui antea in possessionem introducti sunt, illi præiuditium inferatur, seruata in omnibus forma expossitionis prædicti Capituli.

Petitioni Patris Magistri fratris Francisci de Ortega petentis, vt attentis senectute, & infirma valetudine, qua laborat nullus Prælatorum possit illum ad Piru transferre, sed quod tantū possit vnius de tribus conuentibus Cartaginis, Puertovelo, & Panama conuentualis designari ad arbitrium Prælatorum: respondetur, quod illi, vt petit conceditur, eo quod causæ prædictæ legitimæ sint, & veræ.

Petitioni Ioannis de Burgos, & Marinæ de Burgos, in quā petunt in Hispaniam deduci sex mille argēteos octo regalium (vulgo pesos) quos in Hispaniam traducere tenetur conuentus ciuitatis de la Paz Prouinciæ del Cuzco: respondetur, quod ordinatur, & præcipitur Patri Vicario generali futuro, vt prædictos sex mille argenteos (vulgo pesos) in Hispaniam, quam primum mittat, ad quod extrahat quidquid ad prędictam quātitatem persoluendam in deposito conuentus del Cuzco inuenerit, & ad id, quod deerit vsque ad prædictam quantitatem com-

complendam (si alio modo non potuerit persolui) venundari faciat censum quemlibet prædicti conuentus de la Paz.

Petitioni Patris Præsentati fratris Didaci de Sandoual ex Prouincia de Quito petentis confirmationem ad Præsentaturam factam in Capitulo Prouinciali prædictæ Prouinciæ: respondetur confirmari quod â prædicto Capitulo Prouinciali factum fuerit, si id nostro Reuerēdiss. Patri Magistro Generali visum fuerit.

Petitioni Patris Magistri fratris Sebastiani de Roxas petentis exēptiones Magisterij in Prouincia Castellæ, eo quod Magister sit Prouinciæ de Lima: respondetur confirmari, quod super eiusmodi petitione decretum est in Capitulo Prouinciali Castellæ Guadalphaxaræ celebrato anno præterito millesimo sexcentesimo vigesimo sexto.

## *ALIA DECRETA CAPITULI.*

RVrsus ordinamus, & mandamus, vt in distributione bonorum fratrum euita migrantium obseruetur constitutio Ordinis nostri in capite de sepultura fratrū, quod obseruandum est disponens, quod nullus Prælatorum vlla ratione, vel causa perturbare, seu mutare præsumat.

Item ordinamus, & mandamus, vt Patres Prouinciales maxima cura, & diligentia ad obedientiā, & regularem vitam reuocent fratres extra conuentus degentes titulo inseruiendi Ecclesijs extra ordinem ad subuentionē parentum, vel quocunque alio, vt postea cognita necessitate, & causa eisdem, si oportuerit, facultas concedatur.

Rursus lecta est coram sancto Diffinitorio petitio quædam Didaci de Meneses ciuis Darocensis, per quam ab ordine flagitabat confirmationem, & approbationem scripturæ cuiusdam Patronatus sacelli Christo Domino dicati conuentus Darocensis; & sanctum Diffinitorium prædictam scripturam confirmat, & approbat prout inter prædictum Didacum de Meneses, & conuentum Darocensem celebrata fuit.

Item conuentus Ordinis nostri Barchinonensis coram sancto Diffinitorio petijt, vt sibi applicarentur bis centum argentei octo regalium (vulgo pesos) iam in Hispaniam adducti, qui ad fratrem Ioannem Cortes iam defunctum pertinebant: similiterque quidquid aliud ex Indijs venerit, ad prædictum fratrem pertinens, prædictum Diffinitorium concessit, vt prædictus conuentus petijt, ob speciale desiderium, quod vtilitatis, & augmenti illius vniuersus ordo habet.

Rursus ordinamus, & mandamus ad pleniorem obseruationem nostrarum constitutionum, vt nullus frater cuiuscunque conditionis, & qualitatis existat, vtatur corrigia ex alia quacunque materia, quam ex corio nigro, qui vero contrarium fecerint, per tres dies in pane, & aqua ieiunent; Patresque Commendatores sub pœna suspensionis ab officio per duos menses id exequantur.

Item considerante Diffinitorio valde benemeritum de vniuersa religione multis ex causis, hucusque extitisse Reuerēdiss. dominum D. fratrem Gasparem Prieto Episcopū del Alguer, qui totius Ordinis extitit Magister Generalis, charitatemque, & beneuolentiam, quam erga ordinem gerit, tenore præsentis decreti licentiam illi, & facultatem concedit, vt secum possit adducere ad domum, & Episcopatum suum tres fratres Sacerdotes, & alterum laicum, seu conuersum, qui prædictum dominum Episcopum velint comitari: volumusque prædictos quatuor fratres à Prælatis Ordinis ad ipsum Ordinem ipsis renuentibus à prædicta domo reuocari non posse, & dum præfatus dominus Episcopus in Matritensi nostro cœnobio adfuerit, conceditur illi frater quidam ad illius negotia tractanda, qui, vt è conuentu, vel ad ciuitatem, vel extra illam egrediatur, nulla alia Prælatorum licentia, præter quam domini Episcopi indigeat, neque illam postulet: idemq; quoad vtramque partem conceditur domino Episcopo de Paraguay D. fratri Melchiori Prieto erga duos fratres, alterum Sacerdotem, alterum laicum, qui prædictum dominumvelint comitari, qui sola ipsius domini Episcopi licentia, & nulla alia petita possint ê conuentu similiter egredi, dum dominus Episcopus Matriti adfuerit.

Rursus, quia sanctum Diffitorium, de prædictis dominis Episcopis

copis del Alguer, & Paraguay omnimodam habet satisfactionem, expertumque est sæpe sæpius erga conuentum Burgensem, in quo professionem emisserunt, optime esse affectos, quod etiam opere ipso comprobarunt, licentiam, & facultatem concedit suis dominationibus, vt facto inuentario bonorum, quæ hodie ad vsum religionis possident, ex fide, & propria consciẽtia valorem declarent, vel per duos æstimatores, alterũ ex parte Ordinis, alterum ex parte dominorum Episcoporum respectiue illorum fiat appreciatio, vsque conuẽtionem faciant cum prædicto conuẽtu Burgensi. Confirmate ex nunc Diffinitorio quidquid inter partes actum fuerit.

Item coram sancto Diffinitorio comparuit Pater Magister frater Didacus de Velasco Diffinitor generalis Prouinciæ del Cuzco, & proposuit se Prouincialem prædictæ Prouinciæ extitisse, & vt inde in Hispaniam remigraret maiori Ordinis approbatione, voluisse in eadem Prouincia cõputa reddere, quod, & fecit in Capitulo Prouinciali electionis Patris Magistri fratris Ludouici Osorio, ea examinantibus, & approbãtibus Diffinitorio eiusdem Prouinciæ, & Patre Magistro fratre Ioanne Garcia Visitatore generali, illisque; & omniũ rerum, quæ illius curæ demandata sunt, residentia laudatis, illum in Commendatorem domus del Potosi, honoris gratia, prædictum Diffinitorium assignauit, quod munus ipse renuntiauit, nunc vero corã omni sancto Diffinitorio omnia instrumenta, & testimonia, ex quibus supradicta constabant, præsentabat, petebatque, vt examinarentur; Diffinitorium autem id remisit Patribus Prouinciali Vandaliæ, & Patri Priori Barchinonensi, vt prædictis cõputis examinatis, quidquid iuridice verum inuenissent, coram Diffinitorio exponerent; Patres vero Prouincialis, & Prior altera die dixerunt, quod post examen â se factum prædictorum computorum, necnon eorum, quæ in prædictis instrumentis continebantur, inueniebant prædictum Patrem Magistrum fratrem Didacum de Velasco computa cum solutione reddidisse, eaque Diffinitoriũ prædictæ Prouinciẹ del Cuzco approbasse, pro legitimis, & omni ex parte veris, & legalibus; similiterque eum pro fideli, & recto Prælato habuisse, & talem declarantes, ipsiusque nomine ad Capitulum generalẹ venturum in Diffinitorem.

tesimi vigesimi septimi, cui omnes in Diffinitorio vocem habentes, simulque Secretarius Capituli subscripserunt.

Fr. Ioannes Cebrian Magister Generalis electus.

Fr. Franciscus Llac Magister, & Prior Barchinonensis. Fr. Blasius de Tineo Magister, & Prouincialis Castellæ. Fr. Ioannes de Herrera Magister, & Prouincialis Bethicę. Fr. Iacobus Torner Magister, & Prouincialis Valentiæ. Episcopus electus de Paraguay Diffinitor Castellæ. Fr. Matthæus de Villarroel Magister, & Vicarius Prouincialis del Cuzco. Fr. Christophorus Ruiz Magister, & Diffinitor Castellæ. Fr. Ioannes Ferrero Magister, & Diffinitor Aragoniæ. Fr. Franciscus Boil Magister, & Diffinitor Aragoniæ. Fr. Gaspar Fito Magister, & Diffinitor Valentiæ. Fr. Franciscus Gonçalez Diffinitor Valentiæ, & Præsentatus. Fr. Didacus de Velasco Magister, & Diffinitor del Cuzco. Fr. Georgius de Arriola Magister, & Diffinitor Bethicæ. Fr. Didacus de Abarca Magister, & Diffinitor Bethicæ. Fr. Ildephonsus de Molina Magister, & Diffinitor Italiæ.

De mandato Reuerendiss. Patris nostri Magistri Generalis electi, & totius sancti Diffinitorij.

Fr. Hieronymus Guanter Præsentatus, & Capituli Secretarius.

# FRATRES, QVI A TEMPORE CAPITVLI GENEralis præcedentis glorioſe obierunt.

## EX PROVINCIA ARAGONIAE.

IN conuentu Municipij de vn Caſtillo obijt Reuerẽdus admodum pijſsimus,& venerabilis Pater Magiſter fr. Dominicus de Vſabiaga, omnium virtutũ ornamentis clariſſimus, vita,& morte admirandus, qui cum ab adoleſcẽtia ad grauem ſenectutem vſque iugum religionis portaſſet, miro humilitatis,& charitatis exemplo poſt munera, & officia plurima ſumma eius cum laude,& ſubditorum profectu exercita, Redemptor Captiuorum ad Argeriam deſtinatus incredibilis patientiæ miſericordiæ,& zeli ardentiſsimi fidei catholicæ, præſertim vero charitatis in captiuos Chriſtianos edidit clariſsima argumenta ob vitę candorem, iniuriarum, quas illi infideles plurimas intulerunt hilarem,& humiliſsimam perpeſsionem, fidei integritatem, & veritatis amorem Mauris ipſis mirum in modum conciliatus, adeo vt captiuos exhauſta pecunia illi verbo tantum ad ſolutionem obſtricto crederent: deinde Prouincialis Prouinciæ Aragoniæ in eo ipſo conuentu, in quo religioni nomen dederat, deſignatus eximia charitate, iuſtitia,& religionis obſeruantia munus prędictum obiuit, præcipue vero in eo officio adminiſtrando amore paupertatis excelluit: poſtquam autem Prouinciam ſancte,& integerrime rexiſſet, in prædicti Municipij conuentum inter cæteros Prouiciæ egenum ſe contulit, in quo,& religioſis,& ſæcularibus omnium virtutum extitit norma, pauperum amator eximius, verbi Dei feruidus, & indefeſſus diſſeminator,& pago illi,& conuentui noſtro maximi incremẽti ſpiritualis,& temporanei auctor in æternum prædicabitur. Vita ergo laboribus continuis, infirma valetudine, & miraculis editis acta, diei, & horæ mortis ſuæ præſcius eam fratribus adſtantibus prædicens, cum ex illius monitu cõmen-

cessor, virtutibus, innocentia indefesso studio concionibus, lectionibusque perpetuo vacans, Deo carus, de vniuerso populo, & viris Deo dicatis benemeritus, eisdemque gratissimus, postquam triginta annorum spatio Diuum Thomam summa cum laude publice esset interpretatus, muneribusque ordinis nostri laudabiliter functus fuisset, quinquagenarius nostrorum dolore maximo, ipsius vero lætitia summa, placidaque quiete mortē appetens, Beatissimæ Virgini matri, cui vsque ad miraculum erat additissimus, gratias beneficij maximi, vt aiebat, tempore illo extremo accepti referens diem vltimum clausit.

In conuentu Municipij de Logroño obijt venerabilis Pater fr. Lupus de Paredes, qui postquam sæculo integro, quatuordecimque amplius annis (rem hac ætate mirabilem) vitam duxisset, regularis obseruantiæ per octuaginta annorum spatia normam secutus, pudicitiam virginalem non amisit, patientiæ, & charitatis exēplar, tam grandis senectute adhuc virtutibus florescentibus mirabiles sui excitauerat amores, tandem senio confectus diem, horamq; exitus prænotans, nulla omnino ægritudine, sed mortalitatis genio, longissimæ viæ terminum Beatissimæ alterius initium, Deo dante, inuenisse gloriatus diem suum venerabilissimus senex obijt.

In nostro conuentu Matritensi gloriosissime obijt Reuerendus Pater Præsentatus frater Ioannes de Calatraua, vir omniū virtutum ornatu perillustris, post prolixæ vitæ periodum admirabili religionis obseruantia præclaram, præcipueque abstinentiæ, & orationis laude conspicuam, singulis tribus ante mortem diebus diuino spiritu afflatus sacro facto, eorum vltimo vtensilia cellulæ dominorum cuique distribuens, fratres humilissimis verbis, vt sibi si, quæ humanitus in eorum iniuriam excidissent, indulgerent, rogans, oleo sancto delibutus super tabulam nudam iacens imaginē Crucifixi adorans ad stantibus fratribus, vestibus manu propria honestatis, & decentiæ causa collectis, signo crucis eadē manu munitus, & quod mirabilius est, oculos etiam, & os suis proprijs manibus claudens, negantibus omnibus vllum in eo infirmitatis specimen inueniri, spiritum deuotissime Domino tradidit, verbis illis sanctissimæ fiduciæ prolatis, In manus tuas commendo spiritum meum, cunctis præ-

prægaudio lachrymantibus. Corpus eius incorruptum perseuerat.

In conuentu Sanctimonialium Matritensi obijt venerabilis, & pijssima virgo soror Maria à Natiuitate obseruantia regulari, præsertim vero obedientiæ laude, patientiaque etiam acri valetudine afflicta, clarissima, sui abiectione, & humilitate admiranda, semper viliora in victu, & vestitu adamauit, orationi, & silẽtio deditissima. Denique cum ipsa in valetudinario iaceret, alteri sorori in templo visa est, quo monitu morti proximam Mariã cæteræ intellexerũt, ipsa præcipue, quæ sumptis Eucharistia, & sacro oleo, animam reddidisse cum reliquæ putarẽt, repente se erigens imaginem Crucifixi Domini nostri manutenens, intentisque in eam oculis, cereoque altera manu apprehenso, aliquo temporis spatio, acriter etiam violento corporis motu pugnauit, & quasi victoriam decantãs dixit, Eia Iesu Domine, & tradidit spiritum; Patri, qui confessiones eius excipiebat, fassa est peccatum, quod grauius se perpetrasse meminerat, furtum Catellæ esse olim â se factum, quieuit quadragesimo ætatis anno virgo deuotissima.

In eodem conuentu obijt pijssima virgo soror Maria à Iesu, charitate, & misericordia cum diutissime sororibus ægrotantibus ministrasset, mirabilis lætitia, paceque spiritali dulcissima interius, exteriusque per vniuersam vitam gaudens, omniũ sororum solatium habita, omniumque virtutum aduersa, siue optima valetudine dedit specimen; sororem Mariam à Natiuitate enixe rogauit, vt ab sponso illarum dulcissimo, quam citius se abduci, cum illo frueretur, impetraret; quod & factum est, eo enim ipso die, quo Mariæ anniuersarius dies soluebatur, interius admonita, valetudinario, cui præerat, mũdato, atque de eo ratione reddita febri correpta est, cumque patientiæ diuturnæ, & grauissima valetudine æquanimiter, & lætissime tolerata, clarissimum extitisset exemplar, sorores vocans, ipsasque valere iubens, sacrosanctis fulcita mysterijs, iam diu horam sciens, prudensque placidissime quieuit.

Item obijt venerabilis virgo Mariana à Iesu habitu nostro, & professione donata in nostro conuentu à Reuerendiss. domino fr. Philippo de Guimeran Ordinis Generali Magistro, quæ

semper animi, & corporis candore florens vixit tranquillitatẽ animi, charitate erga Deũ, & homines illustris: obijt in magna sanctitatis opinione, populo ad eius suaue olẽs corpus cõfluẽte.

## EX PROVINCIA VALENTIAE.

OBijt in conuentu Regio Beatissimæ Virginis Dominæ nostræ del Puche Reuerendus admodum, & pijssimus Pater Magister fr. Franciscus Andreu, qui sæpe Commendator in eadem Prouincia: denique Prouincialis effectus miro semper virtutum odore fragrauit, triginta annorum spatio intra eundem conuentum adeo se continuit, vt ne semel quidem egrederetur, è cella quidem nisi obediẽtiæ causa nunquam; abstinentia, oratione, humilitate admirandus; ecclesiastici ritus callentissimus cum ex præscripto ordinis cęremoniale (vt vocãt) compilasset, eximiæ magnæ illius animæ pietatis, ac sanctimoniæ in eo elucidando clarissima edidit inditia, spirant enim verba ipsa charitatis ardorem; magni habitum, & à nostro, & cæteris sacris ordinibus opusculum est. Postquam ergo per multa annorum spatia temperantiæ, misericordiæ, pudicitiæ, quam mire coluit, atque illibatam, & incorruptam ad extremam vsque senectutem seruauit: & cæterarũ virtutum gloria nitens vitam duxisset, sibi satis prolixam, nobis breuem, ætate grauem, diem suum obijt, auditis etiam cælestis aulæ canticis corpus eius adhuc integrum perseuerat, in prædicto conuentu del Puche in sacello Diui Andreę sacro testudine concamerata prope veneranda tria corpora sanctorum quorundam Patrum olim inuenta cum corpore sancti Patris nostri Ioannis Iofræ Gilaberti, monitu sancti Ludouici Beltrandi, regularis obseruantiæ Ordinis Prædicatorum reuelatione cælitus illi facta mortis tempore, ad stante Reuerendiss. Patre fratre Francisco Maldonado, tunc Ordinis nostri Magistro Generali.

In eodem conuentu sanctorum virorum Emponò obijt pijssimus Pater frater Michael Soriano diu illius sacri sacelli, & templi ædituus, vir quidem omnium virtutũ chorο longissimi tempo

temporis experientia monſtrante ornatiſsimus,præcipue vero abſtinentia,pane,& aqua,& vt plurimum oleribus, fere ſemper contentus,miſericordia in pauperes largus,oratione diurna, nocturnaque longo temporis tractu producta inſignis: pudicitiã virginalem, ad mortem vſque ſeruaſſe confeſsiones eius excipienti propalauit, cumque diem ſuum obijſſet, totius tractus populi confluentes mira pietate viri ſanctitate conſpicui, non ſolum veſtes abſcindebant,ſed & capillos,ingrata fratribus obſiſtentibus pietate, euellebant; cumque per tres integros dies corpus inhumatum pateret, etiam cællulam eius pauperrimam diripuerunt,cilicia,catenas cruentas,ſcalpra, & id generis alia militiæ Chriſtianæ inſtrumenta,quibus corpus caſtigabat,tanquam pretioſiſsimas gemmas pijſsimo plãctu ſublegerunt. Corpus eius integrum perſeuerat.

In eodem conuentu obijt Pater fr.Laurentius Bailon,ſancti Patris Paſchalis Bailon Ordinis minorum ex fratre nepos,omni virtute conſpicuus,ſpiritu prophetico donatus, oratione, & abſtinentia admirandus, mortis horam prædixit, qua capſula corporis prædicti ſancti Patris Paſchalis tres validiſsimos ictus dedit in conuentu diſcalciatorum ſancti Franciſci oppidi de Villarreal in regno Valentiæ, teſtante Reuerendo Patre eiuſdem conuentus Guardiano, qui hora illa in altari ſancto viro dicato ſacrum faciebat. Per integrum diem venerandũ corpus ſuaue olens ſepultura donari populus ad illud confluens veſtes illius abſcindens,prohibuit.Corpus eius integrum,& incorruptum perſeuerat.

## EX PROVINCIA GALLIAE.

IN noſtro Regio conuentu Pariſienſi obijt Reuerendus admodum,& pijſsimus Pater Magiſter frater Vitalis Du buc, doctrinæ Theologiæ in vtroque ſuggeſtu gloria inſignis, Regię gloria ſacris confeſsionibus, obſeruantia regulari adamuſsim cõſpicuus,poſt maximos labores exantlatos, & itinera confecta,ſuauiſsimo virtutum odore flagrans,vita,& morte religionis norma extitit, cõcionibus clariſsimus, quibus

innumeris ad meliorem frugem reuocauit, non tam vi eloquētiæ dissertissimæ, quam admirandæ virtutis expertæ. Tot meritorum præmia consequuturus diem suum præcipua sanctitatis opinione florens, vir grauissimus obijt.

In nostro conuentu Matritensi obijt pijssimus fr. Raymūdus de Ruipere laicus, siue conuersus ex Gallijs, hic eximio charitatis ardore fragrans fratribus valetudine laborantibus ministrans incredibilis patientiæ, humilitatis, & misericordię edidit argumenta, silentij admiraculum vsque obseruator, semper eodem vultu lætissimo eisdemque verbis, tranquillitatis animi compertis indicijs ministerio suo deseruiens; sanctitatis opinione clarissimus placidissime, & deuotissime diem suum obijt. Corpus eius sepultura peculiari donatum magna populi Matritensis pietate prosequutum in pretio hucusque habetur.

## *EX PROVINCIA VANDALIAE.*

OBijt in conuentu nostro Malacitano venerabilis Pater fr. Petrus de Cardona admirāda humilitate cōspicuus, qui vita, & morte omnigenæ sanctitatis dedit specimen, præcipue vero abstinētia clarus: quidquid præter panem, & olera, in communi refectione conuētus ministrat, pauperibus omnibus, præter diem Dominicę, diebus distribuēs: Beatissimæ Virginis Matris, cui obsequiū quinquaginta annorum spatio deseruit, vlnis aceptus, vt moriens testatus est, gloriosissime humanis ærumnis solutus ad cælum euolauit.

In eodem conuentu venerabilis Pater fr. Petrus de Duo, obseruantiæ regularis custos egregius, atque ad viuum efformatū exemplar triginta annorum spatio intra mōnasteriū tam arcte se conclusit, vt nec semel extra illud exijsse constet: virtutibus, & sanctitatæ præclarus mortem vitæ similem senex venerandus oppetijt.

In conuentu de Gibraltar prope Calpem, pijssimus Pater Ildephonsus Martinez conuersus, siue laicus obijt; qui patientia, & humilitate decorus, genibus flexis, in cælumque oculis sublatis iam mortuus odorem suauissimum spirans nulla præcedente

dente ęgritudine inuentus est. Cum socio cuidam antea dixisset se ad longissimam viam, quam post meridiem hora sexta, qua obijt, sacra Eucharistia parauisse.

In nostro conuentu Municipij Axalitæ, siue de Lora obijt venerãda virtutibus, & sanctitate clarissima virgo soror Clemẽcia: hæc nobilissimo genere nata, nobilior longe virtutibus & [illegible]ci amans, in nostro conuentu Assumptionis Hispalẽsis sacræ nostræ religioni nomẽ dedit, hinc excalceatarũ omnium Ordinis nostri sanctimonialiũ fundatrix conuentũ de Lora ab ipsis primordijs erexit; magnis per vniuersum vitæ tempus meritis cõparatis, moriens maiora præmia iunxit, iam quinquagennaria Patri, qui eius, dum ægrotaret, confessionem, quam vocant generalem excipiebat, affirmauit se primum, quod meminisset, tunc faciem viri vidisse. Nullius lætalis peccati, quod sciret, ream se dixit: insuper, & mortem distare; se sine dubio recuperaturam salutem, quod & euentus probauit, paucis deinde diebus transactis iterum ægrotans, se eidem Patri morituram tunc affirmauit, cellula ergo, luce clarissima perfusa, hymnisque cælestibus auditis, amantissimo sponso Virgo prudentissima obuiam exiuit, animamque tanto præmio afficiendam ipsa libentissime concessit. Corpus eius incorruptum perseuerat.

In eodem conuentu de Lora obijt soror Maria de la Antigua, virgo vsque admiraculum virtutibus cumulata pręclaris, spiritu altissimo donata, scriptis innumerabilibus, dictante diuino sponso, per annum, & alterius partem mediam sanctissima spiritalis vitæ, & id generis documenta, altissimis fidei mysterijs luce præstita in Ecclesiæ gloriam tradidit, insuper mirabilis vitæ fidelissimam relationem, eodem Domino iubente descripsit, tandem in extasi, vt prædixerat, morte præuenta, ad diuinos, vti concupierat, amplexus euolauit.

In nostro conuentu Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis Hispalensis obijt clarissima Soror Philippa Enriquez olim Ducissa de Arcos gente Lusitana, Regio sanguine inclyta, sæculi vanissimis pompis, & fastu abiectis, humilimis, sanctitate vero illustrissimis sanctimonialibus copulata, nostræ sacræ religionis institutum amplexa misericordiæ in pauperes mire floruit, postquam omnibus virtutibus conspicua diem clausit

extremũ, longissimo temporis tractu fere sex annorũ trãsacto; effoso sepulchro, totius ossa carne nudata inuenta sunt, manus vero vegetæ, pulcherrimæ, viuidæque repertæ, vt æterno virore florescerent, quæ adeo opimos fructus tot egestate laborantibus tulerant.

## *EX ITALIA.*

IN conuentu Ordinis nostri Diuo Patri Petro Nolasco dicato Algidi prope Roman obijt Reuerendus, & venerabilis Pater Magister frater Petrus Paulus, centesimum, & insuper quintũ annum agens prædicti conuẽtus à fundamentis erector, doctrina, & sanctitate nobilissimus, qui postquam tam longo vitæ tractu omnium virtutum decore populos in admirationem rapuisset, præcipue vero Algidi, cuius parochi munus gerebat Patris, quæ illius erat charitas, cognomine illustris se morti propinquum præsensisset, sacerdotem, vt sacrum faceret ipso ministrante rogauit, sacraque sinaxi profusis lachrymis accepta intra cellam in ligneo stratulo iacens, pace, & charitate commendatis dimidia à communione accepta in templo horæ parte, propria manu cruce se signans placidissime Deo reddidit spiritum, adstantibus præ lætitia, & compunctione cordis profusissime lachrymantibus.

In conuentu Panormitano Ordinis nostri obijt pijssimus Pater frater Vincentius Salanitro, patientia, & obseruantia præclarus, infirma valetudine patientissime tolerata, adhucque ægerrimi corporis maceratione eo deuenit exilitatis, vt pelle ossibus adhærente instar miraculi ipsum lucis vsura frui haberetur, noctes perpetuo orando traducebat in somnes, & populo illi sanctissimus habitus, postquam fœlicioris patriæ ciuis effectus etiam adeo charus, vt vestes illius, vel insolatium desertorũ in domos per vim dissecantes adducerent. Corpus eius incorruptum adhuc durat.

In eodem conuentu obijt pijssimus Pater fr. Ioannes Zurita, lue illa grauissima Panormi grassante anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, postquam ciues suos incredibili cha-

ritate reficeret, illisque omnibus, quanta potuit diligentia, mederetur, tandem pestilentissimo morbo correptus decem diebus profundissimum silentium tenuit, post quod Beatissimam Virginem Matrem de Mercede se vidisse affirmans, cantico Magnificat enunciato diem vltimum obijt, virginei candoris gloria nobilis; morteque ipsius per ciuitatē proclamata, in tanta rerum illuuie, & mœrore maximo pene sex millia hominū honoris, & pietatis causa ad venerabilis viri funus confluxerūt, præsertim Beatissimi Patris Frācisci alumni tanquam suorum vni iusta fecerunt. In peculiari, destinatoque loco in tanta hominum strage corpus reconditum fuit.

## EX PROVINCIIS INDIARUM.

IN nostro conuentu ciuitatis de Valdiuia Prouinciæ de Chile obijt gloriosissimus Christi Athleta venerabilis Pater fr. Ludouicus de la Peña: hic cum rebelles illius Prouincij, & infideles Indi, conuentum de populaturi impetu ferocissimo inuaderēt, ne etiam sacratissimam synaxim impij pessundarent, summa animi demissione sumpsit, illo vero, custodiam eo manu tenente aduentantes barbari lanceis eum confoderunt, pectoreque ferro aperto, cor adhuc palpitans extractum feri antropophagi morsicatim comederunt, spiritu deuotissimo Arce illa altissima æternum duratura recepto.

In Castrouice Regina obijt venerabilis Pater frater ~~Ferdinandus~~ Bernardus de Bohorques ê nostro conuētu strictiori Limensi (vulgo la Recoleta) hic admirandis virtutibus clarus, miraculis vero clarissimus adeo hominum beneuolētiam, & admirationem excitauit, vt ea inualeret opinio, quidquid per sacrificia Ferdinandi peteretur, sine vlla dubitatione impetrari, experientia magistra; pedestre semper iter fecit, nudis pedibus, & crucem manu gestans, ex stipe, quam ei populus conferebat, quam plurimis subuenit egenis, vita, & morte sanctissimus habitus in Castrouice Regina exuit hominem, & sepulchro peculiari corpori donato argenteam lampadem incolæ imposuerunt, & fratribus Ordinis nostri sæpe sæpius venerandum corpus flagitantibus

tibus denegarunt, vestes eius inter res sacras habitæ, etiam quam plurimis opem poscentibus ab infirmitatibus liberos præstant.

In nostro conuentu del Callao Prouinciæ Limensis prope ipsam Regum ciuitatem obijt venerabilis frater Gundisaluus laicus, seu conuersus, miraculis quam plurimis patratis vita, & morte clarissimus, prophetiæ dono admirandus: cogitationes callebat: dies in congregandis eleemosinis, & conuentui, & pauperibus distribuēdis, noctes orationibus ducebat, etiam absens pauperibus, & infirmis prouidebat, ægrotos ad firmam valetudinem repente sæpe sæpius reuocauit, in prædicto oppido del Callao fere vniuerso populo visus eadem hora mulieri febricitanti Limæ ministrans etiam adfuit, & postquam id generis quam plurima miracula edidisset, adhuc post mortem maiora, & illustriora editurus, naturę vir pene diuinus stans, precesque sacras recitans concessit. Corpus eius incorruptum prope Aram maximam collocatum est, Archiepiscopi Limensis iussu, & auctoritate probationes mirificorum operum factæ certissimā hominis sanctitati fidem conciliarunt.

In insula de la Puna Peruanæ religionis obijt pijssimus fr. & clarissimus Christi Martyr Ildephonsus Gomez Sacerdos ibi Parrochum Indorum agens, cum in eam insulam Piratæ ex Holandia hæretici depopulandi omnia sacra, & profana causa appulissent, venerandus senex adstans interrogatus nunne Papista? (vt illi vocant ignominiæ causa, nobis honoris maximi loco habentibus) & Sacerdos esset; cumque ille, & annuisset, & insuper ipso illo die sacrum fecisse gloriaretur, atque sacram sinaxim suscepisse, iracundia, rabieque insana canes ferocissimi correpti colaphis virum inclytum afficientes, tandem vnus illorum fidelissimus Satanæ minister senem patientissimum, & Iesum, cui militabat inuocantem à superiori stomachi parte ad vmbilicum vsque, si forte, vt aiebat hæreticus, Dominum Christum inuenisset gladiolo vilissimus homuncio secauit, viro egregio meliori sui parte in cælos euolante.

ET

# DECRETA A REVERENDISSIMO PATRE NOSTRO Magistro fratre Ioanne Cebrian totius Ordinis Magistro Generali pro Indiarum Prouincijs, tam in virtute supremæ authoritatis sui officij, quam commissionis Capituli Generalis illi facta, vt conuenientiora pro eisdem Prouincijs decerneret edita.

PRIMO decernimus, vt obseruetur in prædictis Prouincijs Indiarum, tam Limæ, Cuzco, Quito, Tucuman, & Chile; quam Guatemalæ, Mexico, & Sancti Dominici acta, decreta, & ordinationes Capituli Generalis electionis nostræ in omnibus, & per omnia, prout in eis continetur: specialiter vero declaramus decretum reuocationis exemptionum quarumcũque vim similiter habere in prædictis Prouincijs. Circa Magistrorũ vero, & Præsentatorum gradus, quid obseruandum sit, inferius declarabitur.

Item præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna priuationis officij, tam Patribus Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, quam Prouincialibus, & Commendatoribus respectiue, vt vnusquisq; eorum obseruet, & sequatur ordinẽ iudicialẽ à prædecessoribus nostris Reuerẽdissimis Generalibus missum, præcipientes insuper Patribus Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, vt prædictum ordinem iudicialem iterum prælo sine aliqua additione, seu diminutione mandent.

Rursus iuxta declarata in Capitulo Generali de Calatayud anni millesimi sexcentesimi quinti decimi iterum declaramus

Vica-

Vicarios, seu Visitatores generales Indiarum à nobis, & nostris successoribus actualem dependentiam habere, ita vt libere possint ab officio amoueri, vt expresse statuit constitutio, regimēque illorum esse debere iuxta tenorem constitutionum, sicut, & nostrum.

Item iuxta ordinata in Capitulo generali eiusdem ciuitatis de Calatayud, celebrati anno Domini millesimo quinquagesimo nonagesimo tertio, confirmata per fœlicis recordationis Clementem octauum, & per alia tria Capitula generalia, â quibus constitutionis vim habent: ordinamus, & præcipimus, vt Patres Visitatores, seu Vicarij generales Indiarum in perpetuum exerceant, & exercere debeant sua officia, vsque dum alius loco illorum ad dictas Prouincias ad id muneris exequendum perueniat, vel à nobis, vel nostris successoribus respectiue eorum iurisdictio, & commissio reuocetur, quod obseruari debeat in omni euentu, etiam si officium Generalis Magistri, qualitercumque finiatur, & similiter, quod prædictus Vicarius, seu Visitator generalis ab ipsis Prouincijs egredi nequeat, vsq; dum facta sit, & accepta illius residentia à successore, quæ sumi debet iuxta tenorem nostrarum constitutionum, & bullas Apostolicas. Quod si aliquis ab illis Prouincijs recesserit residentia non data, ex nūc pro tunc declaramus talem Vicarium, seu Visitatorem generalem voce actiua, & passiua priuatum, & inhabilem in perpetuum ad quodlibet officium religionis obtinendum, excepto casu, in quo nos, vel nostri successores specialem licentiam concedamus, vt absque tali residentia exhibita remigrare possit, quam nisi grauissimis causis, & omnino necessarijs exigentibus nunquam concedemus. Præcipientes insuper Patribus Prouincialibus in virtute sanctæ obedientiæ, vt ipsis nullatenus permittant, quoadusque verum instrumētum prædictæ residentiæ, aut facultatis nostræ exhibeant, in Hispaniam venire. Porrò dictis officijs finitis sedeant supra omnes subditos, & honorifice tractentur tanquam Patres reseruati, & emeriti, quousque residentiam præstiterint. Quæ residētia, & quidquid circa regimen, & personam prædicti Vicarij, seu Visitatoris generalis actum fuerit, nobis quam primum, vt sententiam feramus, remittatur. Præterea declaramus, quod si quoadusque successor

cessor in eum locum peruenerit, vel ex reuocatione commissionis constiterit aliquis, vel aliqui siue subditi, siue Prælati ipsi debitam obedientiam (quod absit) negauerint, ex nunc eos priuari decernimus quocumque officio, dignitate, & munere, quo fruantur, etiam Prouinciales, & volumus ipsos tanquam inobedientes, & rebelles haberi, & vt tales puniri.

Rursus præcipimus, & mandamus, vt deinceps in Prouincijs de Lima, Cuzco, Quito, & Mexico gradus obtinere nõ possint, tam Magistrorum, quam Præsentatorum, nisi fratres illi, in quibus qualitates à nostra constitutione, & ordinationibus huius Capituli Generalis ad eosdem gradus obtinendos requisitæ inuentę fuerint; cum constet posse easdem constitutiones, & ordinationes in eisdem Prouincijs obseruari, & idoneos fratres inueniri: quo tẽpore cessat cõstitutio fœlicis recordationis Pauli quinti ob penuriam personarum obtenta. Addimus vero potestatem adhuc apud nos remanere ad dispensandum in præsenti ordinatione, si ex relatione Patrum Vicariorũ generalium, & Prouincialium id pro aliqua Prouincia ex prædictis constiterit expedire.

Item ob maxima inconuenientia quæ in Indiarum Prouincijs experta sunt ex multitudine graduum inhabilibus fratribus ex eisdem Prouincijs collatorum ob facultatem, quam Generalis Magister habet ad eosdem gradus conferendos non habentibus requisita per constitutiones, & acta reformationis, ipsarum Prouinciarum vtilitati consulentes in virtute authoritatis Capituli Generalis, & nostra ex nunc præsenti decreto annullamus, & reuocamus, & pro nullis habemus omnes, & singulos gradus Magistrorũ, & Præsentatorũ in Prouincijs de Lima, Cuzco, Quito, Mexico, & Guatemala fratribus, in quibus qualitates à nostris constitutionibus, & actis reformationis requisitæ non inueniuntur collatos: eo tempore, & declaratione adhibita, scilicet, quod illi gradus sine prædictis requisitis constitutionum, & actorum reformationis concessi, quos nobis ex relatione nostrorum Vicariorum, seu Visitatorum generaliũ, & Patrum Prouincialium idoneis fratribus, & â suis Capitulis Prouincialibus expositis collatos fuisse cõstiterit (quæ sunt qualitates, & conditiones à fœlicis recordationis Pauli quinti in

 dicta

dicto breui requisitæ) per nos authoritate eiusdem breuis Apostolici Capituli Generalis, & nostra confirmabuntur, & approbatione munientur. Nobis reseruātes declarare quot, & quales post dictam relationem pro legitimis Magistris, & Præsentatis in dictis Prouincijs sint habendi. Et quantum ad Prouincias de Tucuman, & Chile, & Sancti Dominici nihil innouamus relinquentes ipsas in præsenti statu taliter, quod nobis reseruamus annullationem graduum ad eos non idoneis concessorũ, prout nobis ex prædictorũ Patrũ relatione cõstiterit. Addimus vero ad nullitates Capitulorũ Prouincialiũ vitandas, & vt legitime celebrētur, prædictos Patres Præsentatos, & Magistros in supra dicta reuocatione comprehensos, ea non obstante votum vocem, & suffragium habere debere, & quod de facto habeant in Capitulis Prouincialibus dictarum Prouinciarum de Lima, Cuzco, Quito, Mexico, & Guatemala in dicta reuocatione cõprehensis, donec per nos declaratio fiat eorum, qui cæteris inhabilibus reiectis dictis gradibus frui debeant, nulli vero eorũ guadere poterũt alijs exēptionibus, vel priuilegijs prædictorũ graduum; quoad hoc enim firma manet nostra reuocatio prędicta. Similiter declaramus, quod in omnibus Prouincijs Indiarum ad gradus Magistri, & Præsentati promoti, tam de iustitia, quam ex gratia, Bachalaurei esse debeant, exceptis Guatemala, & Honduras, cum quibus fit dispensatio ob distantiam inter ipsas, & vniuersitates. Necnon exceptis alijs Prouincijs, in quibus dispensare ob prædictam distantiam expediens esse nobis visum fuerit: & quod in omnibus prædictis Prouincijs, tam Magistri, quã Præsentati de iustitia nunc existentes, & pro tempore futuri omnes Magistros, & Præsentatos præcedant.

Item declaramus vim constitutionis habere ob confirmationem plurium Capitulorum generaliũ, quod officia tam Prouincialium, quam cæterorum in Capitulis prouideri solita propter distantiã Prouinciarũ, & alias causas per quatuor annos durent.

Rursus præcipimus, & declaramus, quod in Prouincijs de Mexico, & Guatemala, plures quã sex Magistri, & duodecim Præsentati non sint futuri in perpetuum iuxta bullam diuisionis dictarum Prouinciarum ob penuriam religiosorum, & de nunc existentibus dispositum in actis respectiue obseruetur.

Item

Item ordinamus,& præcipimus iuxta id,quod per breue Pauli quinti fœlicis recordationis in Capitulo generali Guadalphaxarensi receptum anno Domini millesimo sexcentesimo nono sancitum fuit,quod nullus â sanctoOfficio pœnitentia affectus publice, vel secrete in Indiarum Prouincijs officium,honorem, aut dignitatem vllam ordinis, vt in Hispania obseruatur,obtinere posit. In quo comprehenduntur officia doctrinariorum, tam particularium,quam Commendatorum.

Rursus præcipimus, & ordinamus, quod Patres Vicarij,seu Visitatores generales non suspendãt,neque officio priuent Patres Prouinciales sibi subiectos,nisi conclusa prius, & legitime acta causa, quæ omnia fieri debent iuridice, & iuxta ordinem iudicialem,& in casu,quod talis pœna suspensionis imponi debeat,consulat prius duos Prælatos,seuDefinitores,ad priuationem vero quatuor.

Item ordinamus,& mandamus, quod finito officio Prouincialis prædictarum Prouinciarũ morte,vel priuatione,aut quouis alio modo,obseruetur omni rigore dispositũ à cõstitutione, neque conuocando,neque celebrando Capitulum,quoadusque quadriennium adimpleatur, pro temporibus determinatis in qualibet Prouincia â Capitulis generalibus præcedẽtibus,nulla facta mutatione,aut alteratione a Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, quacumque causa,vel euentu, sed potius ipsis finentibus Vicarium Prouincialem iuxta cõstitutionis tenorem asignandum toto dicto tempore gubernare, & similiter prædictus Pater Vicarius,seu Visitator generalis,non obstante constitutione,non posit annullare Capitulum aliquod Prouinciale,electionem, acta Capituli per se solum,& sine consultatione Reuerendissimi Patris Generalis pro tempore futuri,& contrarium ex nunc pro tunc annullamus, declarantes nullius roboris,aut effectus esse, nec Prouinciæ id admittant,vel acceptẽt, & declaramus insuper ex nunc prædictos Vicarios,seu Visitatores generales prædicta Capitula anteponere,vel postponere per quadraginta dies,ad quospossunt ea prorrogare,vel restringere Reuerendiss. Patres Generales in Hispania non posse.

Rursus confirmamus electionem Prouincialis factam in persona Patris fratris Ildephonsi de Rosa à Prouincia de Chile, &

præcipimus ex nūc Capitula celebrari debere in illa Prouinciā duodecima die mēsis Decembris, vt antiqui semper moris fuit, & prorogamus prædicto Patri Prouinciali tempus sui Prouincialatus â secunda die mensis Februarij, in qua Capitulum celebrari debuit, vsque ad dictam diem.

Item ob maxima inconuenientia sequuta sæpe sæpius experta ex receptione â Patribus Prouincialibus, Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus Indiarum facta contributionum doctrinarum, præcipimus in virtute spiritu sancti, & sanctæ obedientiæ, sub pœna excōmunicationis maioris, vt nullo modo Vicarius generalis, seu Visitator, vel Prouincialis recipiant, aut recipere possint per se solos pecuniā, aut alia ex ijs, quę ad dictas cōtributiones pertinēt; sed quod Patres doctrinarij per se, vel per alios ea omnia tribuere debeāt Cōmendatoribus domorum, ad quas prædictæ doctrinæ pertinēt: in quibus depositū cōmune tribus clauibus clausum esse debeat, vbi omnes distributiones recipiātur, & ex tali pecunia ibi recepta fiat distributio vestuariorum Reuerendiss. Patris Generalis, Vicarij, seu Visitatoris generalis, & cætera prout in more fuerit, præstentur.

Rursus propter damna magna, & grauia impedimenta, quæ sequuntur, & confirmationem, quam circa hanc rem à tribus, & à pluribus Capitulis generalibus, & à sancta sede Apostolica obtentam habemus, & notissimam experientiam ex contrario: Ordinamus, & mandamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris, & priuationis officij qualecunq; illud fuerit, & inhabilitatis ad quodcunque aliud in religione habendū, quod nullus frater Ordinis nostri subditus, vel Prælatus lites, vel causas suas, vel aliorū ad tribunalia sæcularia trahat, ius â Prælatis talium causarum tollens, salua semper (vt par est) authoritate sedis Apostolicæ, & cæteris casibus de iure, vel consuetudine licitis, & similiter sub eisdem præcepto, & censuris præcipimus, vt nullus Prælatus religiosorum causas iudicibus sæcularibus, vel alijs extra ordinē notas faciat etiā dominis Proregibus Indiarum sub pœnis in cōstitutione positis dist. 5. cap. 9. disfamatoribus Religionis: taliter quod solū liceat assessorem ad prædictas causas, vel si graues fuerint, duos iuxta regulas iuris euocare.

Item

Item quia ex assistentia Cõmissariorum à Vicarijs generalibus Indiarum pro ipsorũ absentia assignatorũ plurima damna experta sunt, in posterum prædictis Patribus Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus præcipimus, vt ipsorum loco, nec nominent, nec nominare possint supradictos Cõmissarios, Patribus Prouincialibus regimen liberũ relinquentes, nisi ob casum, aut grauem causam ad visitationem mouentem, quam per propriã personam facere non possint, & prædictas assignationes prædictorum Commissariorum contra hoc decretum factas (si quæ inuentæ fuerint) nullius roboris, aut valoris declaramus.

Rursus ordinamus, & mandamus, quod prædicti Patres Vicarij, seu Commissarij generales del Piru, & nouæ Hispaniæ non semper assistãt in ciuitatibus Limæ, & Mexico; quinpotius ad visitationes suarum Prouinciarũ personaliter exeant, quas visitationes in sexennio duas solũmodo liceat facere, & Prouinciales alias duas similiter in suo quadriennio, sub pœna suspẽsionis suorum officiorum ad duorum annorum tẽpus; quod si aliquis peculiaris casus, vel causa occurrat, in talibus Visitatorem, seu Commissariũ mittere poterunt, vt ex prædicto decreto cõstat, vel ipsi personaliter aderunt, dummodo propter dictũ casum, in dicta Prouincia noua visitatio non introducatur.

Item præcipiendo disponimus prædictis Patribus Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, quod Indias euntes, & Hispaniã redeuntes sumptus cum debito moderamine faciant; & insuper quod sumptus ad id necessarios inter Prouincias sibi subditas diuidant, attendẽtes maxime paupertati aliquarum, ita vt non æqualiter inter omnes distributio fiat, vel in totum cuilibet, & vt Prouincia Tucuman, & Chile expertes sumptuum maneant propter paupertatem dictam.

Rursus ordinamus, & mandamus, quod Vicarij generales Indiarum, plusquam octingenta argenteos octo regalium (vulgo pesos) vnoquoque anno, vt mos est, accipere non possint ad vestiuaria, & viaticum, ex quibus ad expensas suas teneantur, & itinera; exceptis victu ordinario, papiro, & soleis ferreis mularum, & ad ornamenta ipsarũ ad itinera facienda minime aliud præter dicta recipiant: è contra vero facientes teneantur ad duplum reddendum, & Prælatus aliud extra dicta tribuens suo

 officio

officio priuetur, & alijs pœnis Reuerendiss. arbitrio afficiatur: similiter præcipimus prædictis Patribus Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, & Prouincialibus, vt in visitatione, quam fecerint, conuentus eis obuiam exire non permittant præter iter vnius diei, vt assolet, ad vitandas superfluitates, & sumptus.

Item ordinamus, & mandamus, quod nullus Vicarius, seu Visitator generalis conuocare posit religiosum doctrinarium ad visitationem extra suam doctrinam, sed quod ipse, vel eius visitator ab ipso nominatus (vt ex supradictis constat) in ipsis doctrinis ab ipso rationem petant, & doctrinarius contra hoc decretum vocatus minime vocationi adsit, quinpotius Reuerendiss. scribere teneatur.

Rursus in eadem conformitate præcipimus, & ordinamus, quod prædicti doctrinarij priuari non possint nisi in prædictis visitationibus, procedendo semper in ipsorum priuatione, sicut in Commendatorum de consilio duorum Prælatorum, vel Diffinitorũ; quod si aliquis ita fuerit priuatus, minime aliam doctrinam adquirere posit, nisi transacto prius vno Capitulo Prouinciali, vel quatuor annorũ spatio, in quo solus Reuerendissimus dispensare possit.

Item ordinamus, & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, quod nullus ex religiosis, tam Prælatis, quam subditis, aut doctrinarijs Indiarum audeat mercaturã exercere, nec Indos ad agrorum laborem, lanas, vestes, & alia huiusmodi compellere, nec pecunias cum sæcularibus ad tractum, vel cõtractus habere possint; quod si contra inuentum fuerit, ex nunc bonis omnibus priuatum declaramus, & inhabilem in perpetuum ad officium obtinendum, & proprietariorũ pœnis puniatur absq; alia declaratione, in quo solus Reuerendissimus dispensare possit; insuper, quod prædicta bona in deposito collocentur, donec certiores de eo facti simus.

Rursus ad inconuenientia hucusque secuta euitanda ex collatione officiorum religiosis in Prouincijs Indiarum non habitantibus, vel minime existentibus ob defectum scientiæ, & experientiæ rerum in ipsis Prouincijs repertarum; ordinamus, & mandamus, quod obtenturus officium post profiliationẽ, quam habere debet in dictis Prouincijs, iuxta constitutiones nostras

ad

ad officium Prouincialis per spatium prius quatuor annorum in ipsis habitare debeat, & ad officion Commendatoris, vel doctrinarij per duorum; & electiones contra ordinationes istas factæ nullæ, & nullius roboris, & effectus sint.

Item præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, quod nullus Vicarius, seu Visitator generalis in persona sui socij, vel Secretarij doctrinã aliquam collocare posit, & sub eisdem præcepto, & censuris ordinamus, & mandamus, quod Patres Vicarij, seu Visitatores generales, seu Prouinciales, non posint ad doctrinam aliquã promouere, ignarum linguæ talis doctrinæ, & illum solum promouere posint, qui per se, sine alterius iuuamine seruire posit, excepto casu maximæ infirmitatis; & sub eisdem præcepto, & censuris subdito præcipimus, vt talem doctrinam contra huiusmodi decretum non recipiat.

Rursus mandamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obediẽtiæ, & sub pœna priuationis doctrinæ, quod omnes Patres doctrinarij orationes, & chatechismum memoriter sciãt in lingua (del Inga) erudientes suos subditos, & parrochianos saltem Dominicis diebus in Ecclesia, & cęteris diebus doctrinæ aderunt, quando fiscales ipsam recitauerint, vt aliqui errores, & imperfectiones emendentur, quos recitantes committere solent.

Item conformiter ad decretum sancti Concilij de Lima à sancta sede Apostolica approbatum præcipimus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub priuatione doctrinæ, vt nullus doctrinarius habere posit in sua doctrina patres, fratres, aut cognatos aliquos, nisi pro illa tantum die, qua accesserint, & in altera propter incommoda, & labores ex contrarijs Indis resultantia à doctrina discedant.

Rursus præcipimus, & ordinamus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis maioris, quod nullus doctrinarius religiosus à doctrina discedat, quoadusque eius successor peruenerit, quem conscium faciet rerum ad prædictam doctrinam pertinentium, & si necesse fuerit, extra illam ad cõfessiones audiendas ire, taliter fiat, vt suos parrochianos die festo, aut Dominica absque sacro non relinquat iuxta determinata in sancto Concilio Limæ.

Item

Item præcipimus, & ordinamus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ Patribus Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, Prouincialibus, seu Commendatoribus prædictarum Prouinciarum Hispaniæ, vt in vnum congregent, & congregare faciāt bona (illorū scilicet) qui vsque ad Pascha Spiritus sancti huius anni millesimi sexcentesimi vigesimi septimi obierunt, ea nobis remittentes, vel à nobis facultatem habentibus in nostro conuentu Hispalensi declaratis nominibus religiosorū, & Prouinciarum, & conuentuum, in quibus filiationem habuerunt, vt conformiter ad nostram constitutionem, & bullam Clementis octaui adiudicentur conuentibus, ad quos pertinuerint; & similiter bona religiosorum à die dicta per spatium quinque annorum primorum sequentium obeuntium obseruētur omni cura, & colligantur, vt religioso à nobis præfinito tradantur in adimpletionem decreti nostri Capituli generalis, in quo disponitur, vt talia bona regali nostro conuentui Barchinonensi applicentur pro forma, & modo à sanctitate sua dispositis in breui à sancto Diffinitorio, & Capitulo generali à sua sanctitate petito.

Rursus ordinamus, & præcipimus sub pœna excōmunicationis maioris latæ sententiæ quod nullus Vicarius, seu Visitator generalis Indiarum exerceat Commendatoris officium recipiendo, vel recuperando debita, vel facultate conuentus vbi habitauerint, omnia ista Commēdatori, seu Prælato ordinario relinquens, & Procuratori conuentus, vt in nostris constitutionibus disponitur.

Item quia ad illustre regimen religionis pertinet, vt Prælati superiores literati sint, ordinamus, & mandamus, vt deinceps in Prouincijs de Lima, Quito, Cuzco, Mexico, & Guatemala Patres Prouinciales sint Præsentati, seu Magistri, vt in Hispania fit ex ordinatione nostræ constitutionis; in alijs Prouincijs commendamus Capitulis Prouincialibus, vt doctis, & literatis religiosis semper in omnibus electionibus Capituli Prouincias regendas commendent.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt in omnibus Prouincijs Indiarum vota, seu suffragia habeant in quocunque Diffinitorio omnes, qui in eisdem olim Prouinciales extiterint ob negotiorum experientiam, quam habēt: insuper in Prouincia sancti Domi-

Dominici in electionibus Prouincialium Bachalaurei ab vniuersitate approbata vota habeant, & Diffinitores Prouinciæ Capituli Præcedētis. Et in Prouincia de Chile in dictis electionibus vota similiter habeant Diffinitores Prouinciæ, & duo Diffinitores Capituli Generalis ob paruum numerum votorũ in talibus Prouincijs asistentium, qui officia Commēdatorum adquirere non posint extinctis omnino votis doctrinariorum Prouinciæ del Cuzco, ex eo quod in tali Prouincia sufficientissimus sit numerus vocem habentium, ex defectu quorum intro ducti fuere, taliter vt deinceps non habeant, nec habere possint in dictis electionibus vocem, cōfirmatis his, quæ circa hanc materiam determinata fuerunt in Capitulo Generali ciuitatis Cæsaraugustæ anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo secundo.

Rursus ordinamus, & mandamus, vt deinceps Vicarij, seu Visitatores generales Indiarum adoptare non posint religiosos vnius Prouinciæ in alias, sed reseruatum hoc nobis, & nostris successoribus relinquimus limitantes quoad istam partem facultatem nostræ constitutionis, propter inconuenientia in hac parte secuta, ita vt nos, nec successores nostri nullatenus adoptemus ex Prouincijs Sancti Dominici, Tucuman, & Chile in aliam Prouinciam propter damna ibi emanātia, & reuocamus omnes profiliationes, seu adoptiones hucusque à Vicarijs generalibus concessas, & præcipimus in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus, & Prouincialibus, vt statim filios aliarum Prouinciarum prædictis Vicariorum generalium adoptionibus vtentes in suas Prouincias mittant, & sub eodem præcepto præcipimus omnibus prædictis, vt filos Prouinciarũ Sancti Dominici, Tucuman & Chile, ad eas remittant ex alijs quibuscũque, etiam si illorum adoptiones à Magistris Generalibus concessæ sint, quas omnes pro reuocatis habemus. Et specialiter præcipimus Patribus Magistro fratri Ioanni de Auendaño, & Patri fratri Didaco Fernādez, & Patri fratri Ioanni del Castillo in Prouincia del Cuzco commorantibus, vt statim suam de Lima petant; & Patri Præsentato fratri Gabrieli Durango in Prouincia de Lima assistenti, vt ad suam del Cuzco redeat, & Patri Præsentato

fratri Petro de Oliuares in Prouincia de Quito habitāti, vt quā citius posſit ad ſuam de Lima proficiſcatur. Quarum Prouinciarum prædicti omnes Patres filij deſtinati ſunt, etiam ſi ſupradicti omnes à Reuerendiſs. Generalibus pro Prouincijs, quibus de præſenti aſsiſtunt, profiliationes obtinuerint.

Item cum nobis conſtet Prouinciam Tucuman in Indijs receptaculum eſſe fugitiuorū ex alijs Prouincijs venientium, ordinamus, quod in illa Prouincia omni rigore, & cura obſeruetur breue Sixti quinti fœlicis recordationis, in quo prohibetur receptio religioſorum ex vna Prouincia in alias, & exequātur pœnæ in illo contentæ omni cura, & rigore ſine diſpenſatione aliqua ſub priuatione officij, tam Vicarijs, ſeu Viſitatoribus generalibus, quā Prouincialibus contra facientibus impoſitæ.

Rurſus ex notitia, quam habemus maximorum in conuenientium per dies reſultantium, ordinamus, & mandamus, quod Patres Vicarij, ſeu Viſitatores generales teneantur ſtatim poſt receptionem quaruncumque rerum ab ipſis acceptarum in Indijs apochas tribuere; quæ omnia, ſub præcepto obedientiæ, & ſub pœna quadrupli facere teneantur.

Item ordinamus, & mandamus, quod decretum noſtri Capituli generalis, in quo mentio fit locorum à Prouincialibus alterius Prouinciæ poſſeſſorum in alijs, intelligi debeat de religioſis omnibus à nobis, vel à noſtris ſucceſſoribus in illis adoptatis.

Rurſus neceſsitati Prouinciæ Tucuman, & Chile attendentes diſpenſamus, vt in illis, tam Artes, quam Theologiam nouitij audire poſsint.

Item cum nobis conſtet, quod in Indiarum Prouincijs conuerſioni, & reductioni Indorum ad noſtram ſanctam fidem Catholicam aliqui religioſi operam nauant, ex quo maximi fructus, & vtilitates in Eccleſia Dei reſultant, vt in proximis annis experientia rerum magiſtra docet, Patres Prouinciales illarum Prouinciarum aliquas exemptiones talibus religioſis cōcedere poterūt attentis laboribus, & cura in prædicto miniſterio factis in Capitulis generalibus rationem reddendo de exemptionibus, & gratijs ſic conceſsis, vt confirment, & approbent annullent, vel reuocent, ſi in prædictis gratijs debita iuſtificatio non appareat.

Rurſus

Rursus disponimus, & præcipimus Patribus Prouincialibus Indiarum, vt nullo casu, vel ratione Vicarios Prouinciales loco ipsorum nominare possint in Hispaniam ad Capitula Generalia venturos, nisi in casu actualis infirmitatis superuenientis pro tempore, quo necesse erat venire, pro nihilo contrarium habentes, & nullius roboris, vel effectus declarantes, vt expresso iure, & constitutione in ordine seruatis constat.

Item ordinamus, & mandamus, quod causæ criminales religiosorum finito, & transacto tempore Patrum Prouincialium cessent, & finiantur in Capitulo, vbi omnes igni tradantur, nisi in casu, quo aliquæ nondum finitæ, & substantiatæ apparuerint, & maiori tempore indigeant: & in tali casu Patri Prouinciali successori fiat ipsarum traditio, vt omni, qua potuerit breuitate, absoluat, & concludat.

Rursus iuxta disposita in Capitulo Generali Cæsaraugustæ anni Domini millesimi sexcentesimi vigesimi secundi, ordinamus, & mandamus nostræ Prouinciæ de Quito, vt vnoquoque anno integre vestuaria ad nos, & nostros successores attinentia reddat, vt statuta nostræ Religionis â sede Apostolica confirmata tenent, & vt in alijs Indiarum Prouincijs fit.

Item ordinamus, & mandamus, & ex nunc in posterum, & in perpetuum applicamus conuentibus, in quibus nouitij professionem emiserunt, legata â talibus nouitijs facta, vel facienda quibuscunque religiosis, præcipue dictarum Prouinciarũ, tam subditis, quam Prælatis, Commendatoribus, seu Prouincialibus, Vicarijs, seu Visitatoribus generalibus; eo quod prædicta legata pro suspectis, & non liberis habeantur.

Rursus acta in Congregatione Hispalensi ciuitate anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo quinto facta confirmamus, in quibus traditio habitus nostri prohibetur ex Patribus Hispano, & Inda procedentibus, quos communiter, *Mestizos*, aut *quarterones de Indios*, vel *mulatos*, vocamus, quod si aliqui pro presenti existũt, inhabiles ad officia, honores, dignitates, vel doctrinas in dictis Prouincijs maneant: quare ex nunc pro tunc incapaces sint prædictorũ officiorũ. Declarantes, quod nomine officij non comprehenduntur gradus Magistrorũ, vel Præsentatorũ, quos in hoc decreto cõprehensi iam habuerint. Insuper

declarantes hoc noſtro decreto confirmari decretum factum in Capitulo Prouinciali del Cuzco celebrato anno Domini milleſimo ſexcenteſimo decimo octauo, & confirmato à fœlicis recordationis Gregorio decimo quinto, quod ad omnes Prouincias Indiarum præſenti ſtatuto extenſum declaramus.

¶ Item prohibemus Patribus Vicarijs, ſeu Viſitatoribus generalibus, vt nulla cauta, vel ratione cũ laicis in corona, vel receptione ordinis ſacri diſpenſare poſsint, limitantes iuriſdictionẽ circa hoc ea forma, & modo, quo ex breui particulari Clementis octaui Prouincialibus prohibetur. Qui autẽ prædicta Vicariorum generalium facultate hucuſque ordinati fuerint, præcipimus ad ſtatum laicorum reuocari iuxta decreta noſtri Capituli Generalis.

Rurſus ordinamus, & mandamus, quod Patres Prouinciales in omnibus Prouincijs Indiarum Vicarios Prouinciales nominare nequeant, niſi in caſibus noſtræ conſtitutionis, & ſolũ poſſint Commiſſarium, ſeu Viſitatorem ad caſum aliquem particularem, ſi per ſe ire nequiuerint, mittere, excepto Patre Prouinciali de Lima, qui Vicarium Prouincialem nominare poterit in terra firma ob diſtantiam maris, & terræ inter ipſam, & Limam.

¶ Itẽm admittimus bullam ſanctitatis Gregorij decimi quinti fœlicis recordationis, in qua Patribus Vicarijs generalibus officiorum vſus prohibetur in quacumque Prouincia vſq; dum facta, & examinata ſit commiſsio eorum à Patribus Prouinciali, & Definitoribus illius Prouinciæ, & idem de Vicario Prouinciali in terra firma exiſtenti intelligatur, vt officium exercere non poſsit, niſi iuxta rationem, quam ſecum portare debet.

¶ Item ordinantes præcipimus, vt omni rigore conſtitutio obſeruetur diſt. 2. cap. 1. 2. in qua fit mentio qualitatum, quas religioſi habere debent antequam ad ordinem ſacrum accedant. Declarantes religionem vniuerſam vti nolle priuilegio quocumque in hac materia, quo alterius profeſsionis religioſi in dictis Prouincijs potiuntur. Committentes Patribus Vicarijs, ſeu Viſitatoribus generalibus à nobis nominatis examen religioſorum condecoratorum, ſi qui ſint contra tenorem illius ordi-

nati,

nati,inquisitione facta, ipsos pœnis afficiant, nobis reseruantes habilitationem, & dispensationem ad prædictorum ordinum exercitium.

Rursus ordinamus,& præcipimus,quod Visitatores,quos ad particulares casus, seu euentus Vicarij, seu Visitatores generales,seu Patres Prouinciales iuxta supra statutum,& dispositũ misserint,ne plus temporis præter id,quod ad tales casus,vel visitationes constitutio disponit,consumãt,dist.2. cap. 18. quod omnino obseruari volumus,vt in ea continetur.

Item ordinamus,& mandamus,quod nullus Commendator, seu præses greges ouium ad suum conuentum attinentes tondere posit,nisi statutis tẽporibus, in quibus cæteri Domini tondere solent,nec alienare posint arietes ætatem nõ complẽtes, in quo casu debeant prius conuentui in Capitulo pleno proponere. Quæ omnia in virtute sanctæ obedientiæ,& sub pœna priuationis officij præcipimus.

Item quamuis in decretis prædicti nostri Capituli electionis pro vniuerso ordine iussum sit, ad maiorem vim ordinamus, & in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub officiorum suorum priuationis pœna præcipimus Patribus Commendatoribus, & Prælatis ordinarijs,quod nihil in parua, aut magna quantitate per se solos recipiant,aut expendant,sed id faciant officialium,depositariorum, & Procuratorum suorum conuentuum ministerio.Præcipientes insuper sub eodem præcepto,& pœna statuta, quod illa,quæ ad victum conuentus attinet,in sua cella non reponat,aut seruet.

Rursus ob experta inconuenientia,quę ex contrario oriri solent, ordinamus,& mandamus,quod nullo modo posit iterum in Commendatorem eligi in Capitulo immediate sequenti alicuius conuentus ille, qui anteriori quadriennio, seu tempore immediato eiusdem fuerit conuentus Commendator. Electiones,quæ aliâs, & contrâ hoc decretum factæ fuerint,pro nullis ex nunc declarantes;& præcipientes religiosis conuentualibus, quod talibus Commendatoribus in dicta forma relectis non obtemperent,neque obedientiam præstare posint.

Item quemcumque religiosum, qui spreta obedientia adhi-

bitu nostro discesserit,& apostatauerit quacumque id causa, & ratione fecerit ad quodlibet officium,honorem, & dignitatem inhabilem declaramus; ipsiusque habilitationem ad prædicta, & cum illo dispensationem nobis tantum reseruantes,ita vt nulli aliorum Prælatorum liceat.

Rursus,vt necessitatibus pro temporum, & circunstãtiarum differentia nascentibus melius prouideri possit, declaramus in nobis adhuc facultatem , & supremam potestatem manere , vt in omnibus actis,decretis,& statutis præcedentibus dispensare ipsaque variare,ac modificare possimus iuxta causas, de quibus nobis per relationem nostrorum Vicariorum, aut Visitatorum generalium,& Patrum Prouincialium constiterit,& alias, quæ iustæ apparuerint , prout in sacris nostris constitutionibus in omnibus, quæ specialiter illic non prohibentur nobis conceditur,& de iure nostro officio competit.

QVas omnes ordinationes,statuta,& decreta,quæ Reuerendissimus Pater noster Magister Generalis frater Ioannes Cebrian ordinauit,& decreuit ex commissione Capituli Generalis suæ electionis,ac ex sui officij suprema authoritate,ipse in hoc libro scribi,& exarari iussit,quæ nomine proprio subscripsit,& officij sui maiori sigillo communiri,& per me infrascriptũ Secretarium refrendari præcepit. In conuentu sanctæ Catherinæ Virginis,& Martyris Toletano,die vigesima octaua mensis Iunij, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo. Frater Ioannes Cebrian Magister Generalis electus.
De mandato Reuerendissimi Patris nostri Magistri Generalis electi. Magister frater Onuphrius Gralla Secretarius.

ET ego frater Onufrius Gralla Magister, & Reuerendissimi Patris nostri fratris Ioannis Cebrian Generalis Magistri,& totius Ordinis Secretarius fidem facio huiusmodi transsumptum prædictarum ordinationum, actorumque Capituli; necnon decretorum, quæ pro Indiarum Prouincijs idem Reuerendissimus Pater ex commissione totius Ordinis edidit, verum, fideleque esse, & cum ipsis originalibus decretis,& actis,

in li-

in libro Ordinis exaratis vndequaque conformare. In quorum fidem præsens trans-sumptum manu propria subscripsi, & de mandato eiusdem Reuerendiss. Magistri Generalis officij sui sigillo communiui. Toleti die vigesima octaua mensis Iunij, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

*Frater Onuphrius Gralla*
*Magister, & Secretarius.*

in isto Ordinis extractis vel, quoque confectis. In quorum fidem præsens tua [illegible] manu propria subscripsi, & de- mandato eius [illegible] Reuerendiss. Magistri Generalis officij Si- gillo communiui. Toleti die vigesima octaua mensis Iunij, anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo.

*Frater [illegible]*
*[illegible] Secretarius.*